

De cōciliis vniuersalibus, ac de his, quae

ad religionis, & Reipublicæ Christianæ reformationē insti tuenda videntur opus in duas partes diuisum, Autore Didaco ab Alaua & Esquiuel, Abulensis ecclesiæ Episcopo, Regio apud Prætorium Granatense Præfecto.



Ad Magnũ, Serenissimũque PHILIPPVM HISPANIARVM PRINCIPEM,

Caroli Maximi Cæsaris Filium, Didaci ab Alaua, & Esquiuel Abulensis Episcopi, apud Granatense Prætorium Regij Præfecti in librum de Concilijs vniuersalibus Præfatio.

SI QVANDO AB ECCLESIAE CAtholicæ primis exordijs, Magne Phillippe, optanda fuit in Christianis Principibus illa vera pietas quam erga Christianæ religionis tranquillitatem eos profiteri par est: hoc potissimum tempore summis, continuisq́; publicis, ac priuatis precibus a Deo Optimo Maximo ea quidem est expostulanda. Tantum etenim mare scelerum, ac malorum Christianum orbem inundauit, tot vndiq; hæresibus in supremam perniciem fidei, & morum exortis, vt nullum aliud oportunius remedium huic malo adhiberi possit, quam quod Christiani Principes pro viribus Christum Principem referant, eiusq; decretis, veluti antidotis diligentissime Regios animos præmuniant, ad Euangelicam regulam, quasi ad scopum omnia eorum consilia dirigentes. Quid obsecro Reipublicæ fœlicius euenire potest, quam Principem vere Christianum, veræ pietatis cultorem, ac tranquillitatis studiosum habere? Ita demum fiet, vt Euangelica pietas inter subditos bene ad Principum imitationem constituta quam latissime propagetur. Sic Euangelica ditio, quæ diuersis rationibus, varijsq; peruersse opinantium sententijs, impudentisq; dogmatibus in angustum contracta, ac propemodũ vacillans apparet, diuino munere restituta sub sanctissimis monarchis rebus omnino pacatissimis fœlicissime fruetur. Sic denique pax illa, quã multis nominibus vtilem admodum Reipublicæ fuisse cognouimus, rebus iam prope collapsis medebitur, nos ad perpetuæ pacis æternam fœlicitatem Christi munere inducens. Sensit sane hanc Christiani orbis calamitatem ea indole, qua diuino Spiritu ab ineunte ætate præditus est, Carolus Cæsar, qui te maximo futurum Reipublicæ ornamento sibi successorem genuit, nihilq; aliud generosius, animoq; Regio dignius fore existimauit, quam tot exitialibus dissidijs summam zelo pietatis feruentissimo manum admouere. Cui negotio peragendo primum omni conatu pacem totius orbis Christiani summopere cupiens cum alijs principibus stabilire, eam maximis laboribus, iustis oblatis conditionibus, ac sæpissime proprio iuri cedens virisq;, quod aiunt, vlnis non tantum amplexus est, sed & difficilimis itineribus susceptis, contempta millies proprij corporis valetudine, quo verus eius autor existeret, solicite procurauit: non

alia ex causa armis, & bello quandoq; vsus, quam vt pacem orbi Christiano
necessariam summe conciliaret. Viderat equidē Carolus inuictissimus non aliter
ter posse religionem Christianam a tot hæreticorum calumnijs eripi, ab immanissimis
nissimis Turcis defendi, quā pace ipsa sacrosancta inter Catholicos Principes
firmissime stabilita. Hinc deniq; Cæsarea Maiestas aduersus potentissimos hostes,
stes, qui eius conatus impedire haud verebantur, fœlicissime cōfecto bello: cōcilio
lio totius ecclesiæ vniuersali eo instigante per Paulum Tertium Pontificem
Maximum ad Tridentinam vrbem indicto, quo religionis, & sapientiæ principatum
cipatum obtineret, ex omnibus eius imperij prouincijs Episcopos, ac viros moribus,
ribus, sapientiaq; conspicuos iussit ad hanc synodum statim accedere: ad amplificandā,
ficandā, illustrandāq; orbis Christiani prudentiā animi proprij magnitudinē
ostendens. Tunc ipse, vt Catholicis votis, & iussis obtemperarē, tuoq; parerē
præcepto, quo me Asturicēsis ecclesiæ regimini interim vicaria apud Hispanos
nos patris vsus potestate Tridentū ipsam accedere iussisti: patria, & propria
diœcesi relictis synodo ipsi præsens, donec in hanc prouinciam, & Granatense
prætorium Præses a Cæsare destinatus intermisso quibusdam ex causis concilio
cilio in Hispanias redierim, illud potissimum munus accepi, vt te omnium,
quæ vel in eadem synodo tractabantur, aut tractanda in Christianæ religionis
nis vtilitatem forēt, certiorē facerē, ex animi tui candore, ex in dole vere Regia
certo cognosceris tuæ celsitudini hoc meū ministeriū quā gratissimū fore. Verum
rum quo meū istud obsequiū omnibus, quibus palā est, me tuo patrocinio multis
tis a Rege, Cæsareq; potentissimo beneficijs affectū fuisse, testatissimū facerē, librū
brū de cōcilijs vniuersalibus in duas diuisum partes, quem Tridenti elaborauerā,
rām; tuæ celsitudini primū dicare, deinde publice in manus omniū tradere mecum
cum ipse decreui. Quarū priori parte quædā de cōcilijs generalibus præmittimus:
mus: posteriori uero multa, quæ hisce tēporibus per synodū œcumenicā, aut p
ipsum Romanū Pontificē ad salutē Christianæ Reipublicæ statuenda videntur,
tur, ordine quodā exposuim⁹, quo facilius legi, atq; a lectoribus percipi valeāt.
Suscipe igitur Princeps clarissime opus hoc qualicūq; a me industria cōcinnatūm
tūm ea quidem beneuolentia, qua omnes ad te, velut ad numen quoddam accedētes
cedētes prosequeris, parentē tuum, Reipublicæ patrē, & iustitiæ cultorē maximū
mū imitatus, nec a Macedone degenerās Philippo, qui non tantū beneuolentia
erga sibi subditas gētes illustre gessit Imperiū: sed & Magnum Alexandrum
eius filium, vt comiter, ac beneuole Macedonas ipsos acciperet, impense admonebat.
nebat. Quod superest Deum ipsum omniū, sed præmaxime Regum, & Principū
cipū rectorē precamur, vt dona, q̄ in te benignissime cōtulit, seruare, & augere
ad Maximā Reipublicæ fœlicitatē pijssime dignetur: quo simul Caroli Cæsaris,
ris, Regisq; admodū Catholici votis respōdeas, & amplissimis prouincijs, quibus
bus natus, ac destinatus es, par esse valeat. Ex tua inclyta Granata.

RERVM MEMORABILIVM INDEX, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Causæ.

Citatio.

Clerici.

Commenda.

Concilium.

Confessionalia.

Conseruatores.

Constantinus.

Decretum.

Delegati.

Dispensatio.

Ecclesia.

Electio.

Episcopus.

Esus carnium.

Exemptiones.

Expectatiuæ.

Filius.

Gratianus.

Hispania.

Hospitalia.

Impeditus.

Imperator.

Inquisitores.

Isidorus.

Iudæi.

Ius patronatus.

Laici.

Lites perniciosæ.

Matrimonium.

Metropolitani.

Ministri ordinum.

Monasteria.

Mora.

Nuntius Apostolicus.

Officia Romanæ curiæ.

Ordines.

Papa.

Patriarchæ.

Pensiones.

Præstimonia.

Principiũ concordia.

Procurator.

Prouinciale conciliũ.

Quæstores.

Regressus.

Religiosi.

Reseruationes.

Resignationes.

Roma.

Scandalum.

Simonia.

Spolia.

Synodus.

Vnio ecclesiarũ.

¶ Quæ per diligentissimũ Typographũ, vt plerũq; fieri cõtingit, omissa fuere, sic restituẽda sunt. Fo.6. col.4.linea.14. plurimorũ iudicio. F.48.li.10.col.1. ¶ Ita legẽdũ est. Deinde cũ ægritudinis lõgę causa, senectutisq; grauiter vrgẽtis, D. a Mercado Abulensem quondã Epũm, cui nos Apostolicæ sedis gratia successimus. Fol.85.col.4.linea.2. Clericos. Fol.86. col.1.¶.28. linea.2. excogitari.

¶ Indicis finis.

De conciliis vniuersalibus,

AC DE HIS, QVAE AD RELIGIONIS, & Reipublicæ Christianæ reformationẽ instituenda videntur Pars prior, Auctore Didaco ab Alaua, & Esquiuel Abulensis ecclesiæ Episcopo, Regio apud Prætorium Granatense Præfecto.

PRIMAE PARTIS. CAP. I.

¶ Sequentis càpitis summa.

1 *Conciliorum congregatio à naturali ratione procedit.*

2 *Apostolorum tempore concilia celebrata fuere: & ab eis continuata sunt per successores Petri.*

3 *Quatuor generalia, ac prima catholicæ Ecclesiæ concilia traduntur, & eorum cuiusq; tempora.*

4 *Species conciliorum distinguntur: atq; ibi de generali, prouinciali, & episcopali synodo.*

5 *Quatuor alia cõcilia generalia, q̃ post prima illa quatuor etiam præcipua censentur, ordine congruo explicantur.*

¶ Caput primum de Conciliorum origine.

NATVRALI quadam ratione institutum est, idemq; lex dictat diuina, & humana res dubias, in quib⁹ de summa rerũ ad reipublicæ salutẽ pertinẽtiũ agitur, a pluribus, hisq; prudentibus, ac negotiorum praxi peritis vtilius, rectiusq;, quam ab vno, aut sane paucis discuti, & tractari. Quid enim obsecro aliud quam naturalis rationis lumen docuit, vt in qualibet republica, liberaq; communitate, ac deniq; societate ciuili negotiorũ publicorũ consultatio penes plures sit, qui de re ipsa mature deliberent, tractent, & cõsultationem habeant? Sic ciuitates, quæ nihil aliud quam humanæ societates sunt, ad tuitiorem hominũ cõuictum congregatę, suos habẽt Decuriones, apud quos omnium negotiorũ, quæ grauia sint, deliberatio est. Romana item respublica & senatũ habuit, ad quem etiam ipsi Cæsares potentissimi, quiq; rempublicam ipsam eorũ imperio subditam omnino habuere, res arduas deferebãt. Belli duces non aliter res arduas aggrediuntur, quam pręuia deliberatione, cõsultatione rei agendę pręmissa, Cęsar lib. ij. de bello ciuili agẽs de Curione, inquit: Quib⁹ de rebus concilio conuocato, de summa rerum deliberare incipit. cuius rei testimonium adest Iudith. cap. ij. Romanus Pontifex, cui a Christo Iesu, totius reipublicę Christianę cura commissa fuit, Cardinales ad rerum grauissimarum cõsultationẽ sibi adsciuit, eosq; ab initio Christianę religionis Romę habuit, q̃tũuis varijs honoris, & dignitatis titulis præditos, donec nomen hoc cardinalium, quasi cardines ecclesiæ acceperunt. De his

enim Bernardus ad Eugeniũ ſcribit. Hi quoq; tibi continuo adſiſtunt ſeniores populi, orbis iudices, collaterales, coadiutores. Horũ meminit tex. in cap. per venerabilem. qui filij ſint legit. vbi ſummus Pontifex palã profitetur, fratres Cardinales ſibi adſiſtere ad exemplum diuini, & veteris legis inſtituti cap. xvij. Deuteron. Si difficile, inquit, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinẽ, cauſam & cauſam, lepram, & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variare, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit dominus deus tuus, venieſq; ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæreſq; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcũq; dixerint qui præſunt loco, quẽ elegerit dominus, ſequeriſq; ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad ſiniſtrã. Hactenus diuinũ teſtimonium, cuius auctoritate ſummus eccleſiæ Præſul ſocios ad conſultationem rerum ſibi delegit, quo maturius Chriſtianæ reipublicæ negotia deliberẽtur: ac ſemel deliberata, per ipſum Chriſti vicariũ, qui ſummã, & ſupra omnes alias auctoritatem habet, exequutioni tradantur. Etenim quicunq; princeps quãto ſuperior is ſit, & maiorem in rebus agendis poteſtatẽ habeat, tãto iuſtius, conſultius, maioriq; cum deliberatione debet, rationeq; naturali tenetur ad expeditionem, definitionemq; negotiorum viros prudentes, peritos, moribus, & iuſtitia inſignes conſulere, atq; cum eis cautiſſime tractare quid in re difficili, & ambigua agendũ ſit. Nam vbi maius periculum imminet, cautius eſt agendum: ſicuti admonuit Gregorius decimus in cap. vbi periculum. de elect. in. vi. in princ. Ioan. Chryſoſtom⁹ homilia. xi. ad. cap. vi. epiſtolæ ad Hebræos. cap. Quieſcamus. xlij. diſt. Gelaſius in epiſtola ad Ruſticum, & Fortunatum epiſcopos in cap. vlt. vij. q. ij. Vlpianus item iuriſconſultus in. l. j. §. Sed & ſi quis. ff. de carboni. edict. Huc etiam pertinet quod ſcribit Albertus magnus in q̃ſtione de iuſtitia, & legibus. vbi inqt, habentibus auctoritatem ſecundum conſulta ſapientum eſt determinare, interpretari, & exponere. Quod & in ipſo Romano pontifice maniſeſtũ fit, ſiquidẽ dũ Agatho Papa in cap. ſic oẽs. xix. diſt. dixit. Sic omnes ſanctiones apoſtolicæ ſedis accipiendæ ſunt tanq̃ ipſius diuina voce Petri firmatæ. Archidiaco. vir abſq; vlla controuerſia doctiſſimus addit. Caute dicit apoſtolicæ ſedis, & non dicit apoſtolici. Quaſi apoſtolicæ ſedis definitiones ab ipſo Romano Põtifice præmiſſo prudentum virorum conſilio fiant, & in publicum proferãtur. Idẽ probat tex. in cap. Apoſtolicę. xxxv. q. ix. Apoſtolicę, inquit Gregorius, ſedis ſentẽtia tanta ſemper cõſilij moderatione concipitur, tanta patientia & maturitate decoquitur, tantaq; deliberatiõis grauitate profertur, vt nec immutari neceſſarium ducat, niſi forte ita prolata ſit, vt retractari poſſit, vel immutari, ſi ſecundum tenorem

præmissæ conditionis existat. His tādem rationibus compertum est oportere, atq; ab initio renascentis ecclesiæ ita fieri oportuisse, vt graues controuersiæ, & de rebus ad Christianā rēpublicam pertinentibus cōtentiones, plurium virorum, eorumq; prudentum fide & pietate instructissimorū iudicio, auctoritate maximi Pontificis definiantur. Nam & illud satis diuulgatum est, rectius esse Conciliū, quod plurimorum iudicio, & deliberatione conficitur, & comprobatur. cap. prudentiam. de off. deleg. in princip. quod & Innocentius Papa primus admonuit in epistola .ij. ad Victricium Episcopū Rhotomagēsem. cap. extra conscientiā. lxiiij. dist. & in cap. de quibus. xx. dist. Hinc sane fit, congregationem, & conuocationem prælatorum ecclesiæ catholicæ, (quam hac in parte Cōcilium appellamus) vtilem, ac necessariam fore ad dubiorum in christiana religione contingentium consultationem, consiliorum collationem, iustamq;, & catholicam definitionem: quæ, cum de rebus arduis fieri debeat, a ratione deducitur naturali dictante, res graues cautissime, & prudentum, pluriumq; cōsilio præmisso examinandas, tractandasq; esse, quo res ipsæ meliorem, & reipublicæ salubriorem adsequantur decisionem. Apostoli sane cōsulti ab Antiochenis de quæstione illa, quæ vniuersam ecclesiam illam conturbabat docentibus quibusdam, etiam gentes ad Christum cōuersas legē Moysi vna cum lege euāgelica seruare debere, Paulo, & Barnaba cōtradicentibus, Hierosolymis Cōcilium fecerūt Petro ecclesiæ vniuersali & illi Cōcilio Præsidente: qui post diligentem quæstionis examinationem quibusdam partem diuersam tuentibus protulit, ac pronuntiauit veritatis sententiam, quæ a Cōcilio probata decreuit, gentes legem Christi professas, ab omni Mosaycæ legis seruitute liberas omnino esse. Iuxta quod decretū concilij nomine Antiochenis responsum est, ita spiritui sancto placuisse: quemadmodum Lucas testatur actorū. cap. xv. Qui in specie scribit Paulum & Barnabam legem Christi apud Antiochiam prædicantes ꝓ hac consultatione Hierosolymas accessisse. vnde apparet ab ipso apostolorum tempore concilia originem habere.

¶ Post apostolorum ætatē Victor Papa huius nominis primus, a Petro vero decimus tertius conciliū Romæ celebrauit circa diem solennitatis paschalis, quo definitum est, vt ea solennitas die dominico peragatur: quo quidem tempore Victoris eiusdem iussu cōuētus Episcoporum, & concilia per singulas quasq; prouincias conuocantur: ex quibus missis hinc inde super eadem controuersia epistolis vnum hoc ecclesiasticum dogma confirmatur: sicuti Eusebius tradit lib. v. Eccles. Historiæ. cap. xxiij. tex. singularis ad hoc in cap. celebritatem. de consecrat. distin .iij. Nam & Beda in chronicis scribit in Cæsaria Palestinæ hoc fere tempore: nēpe īperāte Helio Pertinace a Theophi-

lo & alijs Episcopis Cõcilium fuisse super celebratione Paschæ celebratũ.

¶ Cornelius item Romanus Pontifex vicesimus a Petro Romæ Concilium habuit aduersus Nouati hæresim, quæ negabat, lapsos per pœnitentiam salutẽ consequi posse. Fuitq; cõcilium istud admodum celebre, cõgregatum quidem ex sexaginta Episcopis, totidemq; presbyteris, ac diaconis pluribus auctore eodẽ Eusebio lib. vi. cap. xxxiiij. Extat hac de re Cypriani liber, qui de lapsis inscribitur, vbi multis auctoritatibus hæresim istam cõuincit: idem fecere diuus Ambrosius lib. j. de pœnitentia. Et Chrysostomus in lib. de reparatione lapsi. atq; in Nicæno Concilio cap. viij. eadem hæresis simul cum auctoribus improbatur.

¶ Sub eodem Cornelio Papa diuus Cyprianus apud Carthaginem concilium celebrat super ea quęstione: an baptizati ab hæreticis venientes ad ecclesiam essent rebaptizandi: quo decretum, ac responsum est ab ipso Cypriano Episcopo Carthaginensi, & ab omnibus fere Episcopis, & sacerdotibus Africanis, oportere, vt baptizati ab hæreticis ad ecclesiam accedentes rebaptizentur. Quod quidem decretum Cornelius Papa Romæ concilio inito omnium Episcoporum, & sacerdotum Italiæ, catholice, vt falsum dogma, abijciẽdum fore statuit. tradens sola pœnitẽtia purgandos esse eos, qui ab hæresibus ad fidem catholicam redierint: eosq; verum baptisma suscepisse, qui ab hæreticis fuerint baptizati: quemadmodum Eusebius lib. vij. Ecclesiast. historiæ. cap. ij. testis est. Concilium autem hoc Africanum cum omnium Episcoporum sententijs habetur inter Cypriani opera. ij. Tomo. Nec tamen vllã ex hoc hæresis notam patitur diuus Cyprianus, vir fide, virtute, ac pietate præstantissimus. Is etenim inre tunc ambigua ob variam Episcoporum contentionem sententiam dixit, minime eam pertinaci animo defensurus, sed omnino paratus ab alijs meliora docentibus corrigi: mutaturusq; sentẽtiã si melioribus argumentis veritatem fuisset edoctus. Sic sane Episcopi Africani, qui cum Cypriano falsũ dogma edidere, postmodũ a Cornelio, Lucio, & Stephano summis Pontificibus edocti priorem opinionem meliori sententia mutarunt. Igitur hinc apparet a Cornelio Papa Romæ Concilium ad hunc errorem extirpandum celebratum fuisse.

¶ Deinde Apostolicam sedem regente Dionysio vicesimo quarto Papa a Petro, tẽporibus Galieni Cæsaris cõuocatum est Concilium prouinciale Antiochiæ aduersus Paulum Samosatenũ, qui abiecta, & indigna a Christo prædicans negabat, cum de cælo descendisse, sed fuisse communis naturæ hominem: ac denique asserebat, Christum hominẽ iustum fuisse: non deum. Cuius Concilij meminit Eusebius lib. vij. Eccles. historiæ. cap. xxij. & xxiij. Qui commemorat, Paulũ Samosatenũ ab Episcopis, &

aliis sacerdotibus magnis rationibus, & auctoritatibus hæreseos damnatũ fuisse: eiusdem concilij meminit idem Eusebius eo.lib.vij.cap.xxix.

¶ Paulo post, cũ Marcellinus Papa vigesimus octauus a Petro Diocletiani Cæsaris metu perterritus in tẽplo Isidis, et Vestæ idolis thurificasset, cõciliũ centũ & octuaginta Episcoporũ in Sinuessa Campaniæ vrbe congregatũ est, vt de illa thurificatione summus Pontifex cõuinceretur, & conuictus pœnitentiã tãti criminis ageret, sicuti & vere pœnitẽs: conciliũ ingressus pœnã peccati humili deuotione petijt. Meminere hui⁹ cõcilij Platina lib. de vitis Põtificũ in Marcellini vita: & Nicolaus Papa in epl'a ad Michaelẽ Imperatorẽ: Gratianus in cap. Nunc autẽ. xxi. dist. ac deniq;, etiã si varia Historici hac de re tradiderint, extant huius synodi acta primo cõciliorũ Tomo post epl'as eiusdẽ Marcellini, qui tandẽ martyriovitã ipsam pro religione Christiana post thurificationis pœnitẽtiã finiuit. Nec vnq; hic Põtifex hæreticus fuit: quippe q si dem rectã minime amittẽs, crudelissimorũ tormẽtorũ metu nõ simplici mortis genere victus, in cõfessiõe fidei aduersus intẽta supplicia carnificum violẽtia cõstãs, fortis q; nõ fuerit, Christi q; ecclesiã ꝑ hãc thurificationẽ scãdalizauerit: cõtinuo tamen ad cor reuersus ꝓpriæ infirmitatis grauissime pœnitẽs cõfessionis cõstãtia vsq; ad mortẽ, acerrimoq; martyrio gloriose consumptus Christi fidẽ stabiliuit.

¶ Post Marcellinũ sub Marcello Põtifice Ancyræ, q̃ ciuitas Gallatiæ est, conciliũ Ancyranũ celebratũ fuit, ad uersus eos, qui reuertentes ad fidem, a qua tormẽtorũ metu defecerãt, recipere recusabant. Fuitq; prouiciale cõciliũ, sed admissum ac probatũ in sexta synodo Cõstantinopoli celebrata: vt patet in eiusdẽ sextæ synodi cap. ij. et in cõcilio Florẽtino sessione septima, citaturq; a Gratiano in illo aureo decretorũ opere: vbi appellatur cõciliũ Anchyritanũ. cap. ꝑsbyteros, qui. l. dist. cap. si qua de rebus. xij. q. ij. cap. desponsatas puellas. xxvij. q. j. & alibi sæpissime.

¶ Deinde sub Melchiade Papa huius nominis primo, qui a Petro fuit tricesimus primus, isq; sedẽ Apostolicã tenuit post Eusebiũ Romanũ Põtificẽ Anno fere tricẽtesimo decimo a Christi natalibus paulo ante cõciliũ Nicænũ Neocæsariẽse cõgregatũ est, cuius canones recepti fuere a sexta synodo, & passim a Gratiano citãtur ꝑsertim xxviij. dist. cap. presbyter. &. xciij. dist. cap. diaconi. Hui⁹, & Ancyrani cõcilij meminit Isidorus in princip. cõciliorũ: sicuti & idẽ relatũ est. xvi. dist. cap. prima adnotatio. cuius hæc sunt verba. Prima annotatio Ancyritanæ synodi dicitur, q̃ ante Nicænã ferẽ fuisse: sed propter auctoritatẽ maiorẽ postponiẽ, in q̃ patres decẽ & octo statuerũt canones viginti q̃tuor, quorum auctor maxime Vitalis Antiochenus Episcopus extitit. Secunda Neocæsariẽsis, q̃ post Ancyritanã et Antiochenã legiẽ fuisse, in qua patres decem, & septẽ statuerũt canones vi

gīntiquatuor, quorū auctor maxime Vitalis Episcopus Salonitanus extitit. Hactenus Isidor⁹: ex q̄ illud est colligēdū, synodū, quā Isidorus appellat Antiochenā, eam esse, cui⁹ pauloante meminimus, & q̄ aduersus Samosatenū Paulū fuit celebrata. Harū item synodorꝝ mētionē facit tex. in cap. quoniā sāctæ. xvi. dist. cū alijs, q̄ receptæ fuerūt in sexta synodo Cōstātinopoli cōgregata, cuius canones editi post eandē synodū fuere sub Iustiniano in Trullo, quod erat palatiū, aut Regia quidē ipsorū Cæsarū apud Cōstantinopolim. Huius etenim synodi in Trullo habitæ canones sextæ synodo, q̄ ante sub Cōstātino Cæsare cōgregata fuerat, passim a veteribus auctoribus tribuunt. Nā & Gratianus in dict. cap. quoniā sanctæ. et in cap. p̄cipimus. xciij. dist. atq; alibi frequēter ex sexta synodo canones adducit, qui apud Cōstātinopolim post sextā synodū editi fuerūt. Cuius rei maximū est testimoniū apud Gratianū in cap. habeo librū. xvi. dist. Et in septima synodo generali actiōe quarta. cuius meminit tex. in ca. sextā. dist. xvi. quo ī loco, vt vere adnotauit. glo. ibi, falso legitur sextæ synodi: cū legēdū sit septimæ. Est aūt Neocæsaria vrbs Cappadociæ quā vrbē Lycus amnis p̄terfluit auctore Plinio lib. vi. ca. iij. Eiusdē meminere alij Geographi, præsertim Ptolemæus lib. v. cap. vi. Dicitur hodie Trapezuntiū sedes quidē Turcici imperij priusq̄ magna Christiani nois iactura Constantinopolis eiusdē gētis tyrannidi subiecta esset.

¶Idem prætera Melchiades Papa in cap. placuit. xiij. q. ij. insinuat, cōciliū aliud eius ætate celebratum fuisse, cui ipse Melchiades præsens fuerit: idq; appellat magnum concilium. Et hæc quidem sunt cōcilia, quæ Nicænam synodum præcessere. Imo & quibusdam visum est ab ipsis Apostolis alia concilia celebrata fuisse præter ea, quorum superius mentionē fecimus. Nam act. cap. vi. Cum ortum esset murmur Græcorum aduersus Hæbreos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum: duodecim Apostoli cōuocauerunt multitudinē discipulorū super hac re, & elegerunt septē viros plenos spiritu sancto, et sapiētia, q̄s constituerūt ad hoc opus. Itē cap. j. eiusdē historiæ scribit Lucas, vndecim Apostolos duce Petro conciliū congregasse ad eligendū Mathiā loco Iudæ Scariothæ. Horū omnium cōciliorum meminimus, vt ostenderemus ante synodū Nicænā plurima concilia celebrata fuisse.

¶Demū Constātino Cæsare Helenæ filio imperāte, qui Christianæ religionis fide Romanorū muniuit imperiū, sub Syluestro Papa huius nominis primo, tricesimo vero secundo 3
a Petro, sanctissimi Episcopi ex vniuerso orientali, & occidentali orbe tercētum decem & octo apud Nicæan vrbem Bithyniæ in vnum congregati concilium, & synodum celebrarunt aduersum Arrium presbyterum Alexandrinum Arrianæ hæreseos auctorē: in qua synodo ea hæresis conuicta, & damnata fuit: edi-

tiq; fuere in eo cõcilio canones quidã maxime vtiles ad Christianæ reipublicæ vtilitatẽ: quorũ frequẽtissima mẽtio fit a Gratiano in præcitato decretorũ libro. Contigit autẽ hui⁹ synodi Nicænæ celebratissima congregatio Anno a Christi natiuitate tricẽtesimo vigesimo quarto iuxta cõputationem Eusebij in lib. de tẽporibus: vel vigesimo quinto secũdũ initiũ canonũ eiusdem cõcilij: vbi scriptũ, & memoriæ mandatũ extat, Nicænã synodũ congregatã fuisse æra tricẽtesima sexagesima tertia: & tametsi auctores in hoc omnino nõ cõueniũt, illud certũ est sub Syluestro Papa huius noĩs primo, & sub Cõstãtino Cæsare Helenæ filio hoc cõcilium celebratũ fuisse, & ab ipso Romano Põtifice cõprobatũ: queadmodũ passim veteres Historici testãtur: maxime Ruffinus in lib. x. historiæ Ecclesiast. cap. j. & sequẽtibus. Isidorus in principio conciliorũ cap. prima aũt. xvj. dist. & Epiphani⁹ ĩterpres Historiæ Tripartitæ lib. ij. ac Theodoritus lib. j. Ecclesi. historiæ. cap. vij. & multis sequentibus. atq; isthæc ratio tempoꝝ fere omniũ consensu recipitur.

¶ Hinc apparet apud Bedã in lib. de tẽporib⁹ cap. lxv. deprauatã fuisse lectionẽ vitio impressorũ, dũ hoc cõciliũ Nicænũ tẽporib⁹ Iulij Papæ primi tribuitur: idẽ fit in cap. sexta synodus. xvj. dist. quo in loco Gratianus ita Bedã retulit. Idẽ vitiũ est apud Sozomenũ li. ij. Tripartitę cap. j. & li. j. eiusdẽ Sozomeni cap. xvij. cũ inter Syluestrũ primũ, & Iuliũ primũ Romanã atq; apostolicã sedem habuerit Marc⁹, prim⁹ hui⁹ noĩs Roman⁹ Põtifex, a q̃ diuus Athanasi⁹ canones Nicæni concilij petijt cap. septuaginta. dist. xvi. ex epistola eiusdẽ Athanasij ad Marcũ Põtificẽ Romanũ: quod & pꝛter alios aduertit Card. a Turre Cremata in dict. cap. sexta synodus. Hoc ipsum colligit̃ ex cap. in sancta. ij. q. vij. vbi Iulius prim⁹ refert canones Nicænæ synodi: nec meminerit eius Põtificatu eã celebratã esse. vnde cõiectura deducitur iã ante ipsum celebratã fuisse: licet nõ omnino cõuincat hæc ratio. Potuit sane Beda concilium Nicænũ ex eo Iulio primo tribuere, quod idẽ Iulius iterũ impium Arrij dogma ecclesiã Catholicã infestãs, & scãdalizãs Romæ conuocatis pluribus Episcopis Nicænã synodũ cõfirmãs dãnauerit: sicuti lib. iiij. Tripartitæ Historiæ latius, & ordinatĩ enarrat̃: licet nõ fiat expressim mẽtio huius Romani concilij: sed tamen habentur omnia, quæ aduersum Arrianos ipse Iulius summus Pontifex diligenter, & catholice gesserit.

¶ Imo & Syluester prim⁹ habuit Romæ cõciliũ pluriũ Episcoporũ pꝛsente Constantino post Nicænã synodum, canonesq; in eo edidit, quorum aliquot a Gratiano citantur potissime in cap. a subdiacono. xciij. dist. ca. præsul. ij. q. iiij. atq; in hoc concilio Romano idem Syluester Nicęnam synodum, eiusq; decreta recepit.

¶ Ab hoc Concilio Nicæno iuxta quorundam sententiam originem habuere concilia. glo. in cap. futurã. xij.

q.j.& ibi doctor Bart.in.l.j.in rep. num.xxxi.C.de sacrosf.eccles. tex.in cap.quoniam sanctæ.& cap.sancta. & cap.sexta.versic. prima synodus. xvi. distin.cap.j. distin.xv. & in.l. nos reddẽtes.§. suscipimus.C. de sũma trinit.& fide catho.l.quicũq;.C. de hæret.& in Auth. de ecclesiast.titulis. in principio. Quibus in locis Nicæna synodus omnium prima dicitur: idemq; asseuerant veteres Historiographi, qui conciliorum mentionem fecere: apud quos Nicæna synodus absq; vlla controuersia prima appellatur. idem probat tex. in cap. sicut sancti. Et cap.sancta Romana. xv.dist.quibus vere obijcitur, quod ante synodum hanc Nicænam ipsa quidem apostolorum ætate conciliorum congregatio cœperit: quemadmodum ex his,quæ modo tradidim⁹, manifestissime constat: vnde controuersia deducitur,qua quæri solet,cur Nicæna synodus censeatur omnium aliarum prima? Cui quæstioni prænotandum est conciliorum, & synodorum ecclesiasticarũ esse quatur species. Est etenim concilium Episcopale,prouinciale,generale, quod & vniuersale quidã appellãt, aliud & quartum, quod medias partes obtinet inter prouinciale, & generale. Horum quodlibet in specie proponam, licet hanc distinctionem ita integram pauci ante nos tradiderint. Nam glo. in cap.j.distin.xvij. vbi doct. maxime Præp.et Card.a Turre cremata vẽs. ad secundum.Panormit.in cap.osi⁹. de elect.Antoni.de Rosellis in tract. de concilijs.q.v.Card.in procemio. Clemẽt.§.hæc sane.Hostiens.in summa tit.de cõstitu.§.quis possit. vers. conciliorum.Innocent. Anto.Abb. & Imola num.xvi.in cap. graue. de p̃bẽd.rursus optime idẽ Card.a Turre cremata in sũma de ecclesia.lib. iij. cap.iij.tres conciliorum species explicarũt.Generale quidem,Prouinciale, & Episcopale.Nos quartum addidimus,omissis aliorũ distinctionibus.

¶Est ergo conciliũ Episcopale illud, quod celebrat Episcopus cum abbatibus, & clericis sibi subditis ad ea tractanda, q̃ ad curam pastoralem attinẽt.cap. decernimus.cap.de cõcilijs. cap.habeãt.xviij.dist.Panor.in cap. ex gestis.de cleri. non resident.& oẽs hi,quorum in præcedenti vers.mentionem feci. Abb. & Areti.in cap.sicut.de accussat.Et hoc est singulis annis semel celebrãdum cap. Abbates. xviij.q.ij. cap. annis singulis.xviij. distin. Cõciliũ Basiliẽse sessione.xv. Abb.in cap.ex ore.ij.notab.de priuileg.Card. & Doct.in distin.cap. sicut.Abb.in cap.conquerente.col.iij. de off.ordi. quorum opinio communis est. nã & eãdẽ tenet Abb.in cap. olim.in.j.notab.de cẽsib.& in dict. cap.graue.iiij.notab.late Henri.Bottæus Bressianus parte.j.eius tractatus, quem de synodo Episcopali peculiarem fecit. Habuere autẽ synodi Episcopales originem secũdũ Card. a Turre Crema.in dict.cap.iij.et in dict. cap.j. dist.xvij. ab eo Concilio, quod conuocatis senioribus habuit Hierosolymis Iacobus Episco-

pus Hierosolymitanus ꝑ sedanda cõtentione illa, quæ aduersus Paulũ orta fuerat: cuius meminit Lucas cap. xxi. act. apostolorum.

¶Concilium vero prouinciale est illud, quod Archiepiscopus, vel primas alicuius prouinciæ cõgregat cõuocatis Episcopis eiusdem prouinciȩ, ad ea negotia definiẽda, quæ pertinẽt ad totius prouinciæ spiritualem administrationem. huius meminit tex. in cap. si quis Episcopus. cũ duobus sequentibus. xviij. dist. cap. j. de off. legat. cap. sicut. de accusat. cap. graue. de prebend. cap. non oportet. xviij. dist. cap. Si quis Episcoporum. xcij. dist. Hoc prouinciale Concilium originem habuit ab eo, qđ Paulus Apostolus apud Miletũ conuocatis senioribus prouinciæ Ephesinæ celebrauit. act. cap. xx. Concilia quidẽ prouincialia olim bis in anno celebranda erant ex decreto Niceni concilij canone. v, & cap. habeatur. xviij. dist. at in sexta synodo canone. viij. & in septima cap. vi. Patres decreuerunt, quod saltem semel in anno prouinciale concilium qualibet in prouincia haberetur. cap. quoniam quidẽ. xviij. dist. At in concilio Basiliensi sessione. xv. statutum est, vt ad minus de triennio in triennium celebretur.

¶ Quandoq; concilium prouinciale celebratur a Legato Romani Pontificis, vocatis Episcopis & prælatis illius prouinciȩ, ad quam e latere summi Præsulis missus fuerit. capit. regula. §. porro. iij. dist. cap. ij. de off. legat. in. vi. cap. vlti. de offic. legat. etiam sine speciali commissione. Nã cum Legatus a latere sit ordinarius, & ordinario similis, poterit Concilium prouinciale, quod Archiepiscopus, aut primas celebrare posset, ipse congregare iure ordinario legationis secũdum Ioan. Andre. Bald. Card. Antoni. Abb. & Imola. in cap. quod translationem. de off. legat. Speculator. inti. de legato. §. superest. vers. nũquid legatus. Hostiẽsis in summa tit. de legato. §. quid pertinent. vers. nun. quid legatus. quorum opinio cõmunis est, vt asserit card. Iacobatius. lib. iij. de concilio art. j. q. penult. eãdem opinionẽ sequũtur Archid. & doct. in dist. §. porro. contra glo. ibi.

¶Huiusmodi cõcilia prouincialia celebrata fuerunt ante Nycȩnam synodum: quod ex traditis hoc in capite apparet. Nam concilium prouinciale non vnum quidem: sed plura celebrata fuere sub Victore primo de Paschatis solennitate. Item conciliũ Antiochenum sub Dionysio Romano Pontifice. Et Ancyranum sub Marcello, atq; Neocæsariense Melchiadis Pontificatu. Et hæc, aliaq; prouincialia concilia Nicænam synodum prȩcesserũt. Paulo post Nicẽnã synodũ decem & nouẽ Episcopi Hispaniarũ concilium prouinciale fecerunt in Eliberi, quæ vrbs olim sita fuit ꝓpe hãc Granatensem ciuitatem, quemadmodum communi omnium consensu receptũ est: cui synodo prouinciali subscripsit, & prȩsens fuit Osius ille Cordubẽsis Episcopus, q & synodo Nicȩnȩ præsens fuerat, ac subscripserat,

Deinde regum Hispaniarũ cura, & solicitudine, ac Episcoporũ in Christianam religionẽ maximo zelo, quo mores hominum ad veram pietatem, & dei cultum instituerentur, frequentissime apud Toletũ vrbẽ, aliasq́ citerioris, et vlterioris Hispaniæ ciuitates, fuere prouincialia Cõcilia celebrata: e quibus canones plurimi a Gratiano alijsq́ veteribus autorib⁹ admodum vtiles Christianæ reipublicæ passim citantur. Iam diu, quod dolẽdum est, hæc prouincialium Conciliorum cõgregatio in desuetudinẽ abijt magna cum religionis Christianæ iactura: tametsi nostra ætate sub Paulo tertio Romano Pontifice: & inuictissimo Carolo Cæsare Hispaniarum Rege Anno millesimo quingentesimo tricesimo sexto Hermanus Coloniensis Archiepiscopus Concilium prouinciale celebrauerit: quod multis nominibus a viris doctrina, & eruditione præstantissimis laudatissime cõmendatur. Etenim præter multa, quæ synodus hæc prouincialis continet de munere Episcoporum, de officio, & moribus sacerdotum, de visitatione, deq́ multis, alijs ad salubre regimẽ cuiuslibet catholicæ diœcesis pertinentibus, christianæ institutionis enchiridiõ habet, quo plura christianæ doctrinæ rudimenta ad perpetuam salutem necessaria compendio traduntur. Quod si Archipræsules curam a veteribus canonibus sibi iniũctam diligenter hactenus habuissent in his synodis prouincialibus congregandis, dubio procul non ita in præcipitium sacerdotum mores, & ecclesiastica disciplina ruerent. Eadem ratione oporteret plurimumq́ cõueniret moribus instituendis, quod synodus Episcopalis frequentius, q̃ modo, fit, & si non singulis annis; non quidem vt multi canones, & constitutiones statuerentur, sed vt Pastor ex clericorum, & sacerdotũ publica delatiõe sciret quo morbo eius oues, quas pascendas ad sumpsit, laborent, & an veteres canones custodiantur, omni cura, ac solicitudine conuocetur. Nos etenim priusquam generale Tridentinũ Cõcilium a Paulo tertio indictum fuit, vt aliqua ex parte muneri satisfaceremus, quod nobis Caroli Cæsaris beneficio, & electione idẽ summus Pontifex Paulus cõmiserat, dum Asturicensis ecclesiæ regimen Episcopale nacti sumus: synodũ Asturicæ Episcopalẽ celebrauimus: qua diuini numinis gr̃a patrocinãte cõstitutiões aliquot edidim⁹ ad morũ, & Christianæ doctrinæ institutionem, tunc quidem experti fuimus, q̃tũ referat episcopos vigiles esse oculatissimos, ac diligentissimos in perscrutandis totius diœcesis moribus & negotijs; quorum in publicis synodis maxima, & admodũ vtilis fit indagatio. Apũd Gallos anno millesimo quingentesimo vicesimo octauo Parisijs Antonius a Prato tituli sanctæ Anastasiæ presbyter cardinalis, Archiepiscopus Senonẽsis prouinciale concilium habuit, quo suffraganeorum cõsilio decreta q̃dam promulgauit, quibus Lutheri, & aliorũ hæreticorum pestilentissimum virus

detexit, & improbauit: deinde & nõnullas adiecit constitutiones, quibus insolescentes eo tẽpore mores, & sup pullulantes quidam excessus compri merẽtur. Laudãda enim est hæc prælatorum cura: siquidem frequens conciliorũ celebratio pcipua est agri domini cultura, quippe q̃ deformata reformet, & vineam domini, quã is Episcopis omnibus pcipue colendam exposuit, ad frugẽ vberrimæ fertilitatis adducat.

¶ De concilijs autem generalibus illud est pmittendum, quod duplici ratione possunt cõsiderari. Primo quidem ex parte eorum, qui ad ea vocantur: Secundo ex ratione auctoritatis. Nã quoties auctoritate Romani põtificis negotium totius ecclesię tractatur, cõuocatis ex omnib⁹ totius christiani orbis prouincijs catholicis Episcopis, dicitur hæc congregatio Concilium generale primo modo, aut vniuersale; idemq; œcumenicum: quia œcumene græca dictio orbem terrarum significat. Hoc concilium plenarium a quibusdam appellatur. Huius cõcilij meminit glo. in summa. xvij. dist. quam ibi doct. sequũtur: & probatur ex pluribus eiusdem distinctionis canonibus: & cap. significasti. de elect. cap. regula. §. porro. iij. dist. Sed si ab ipso Romano Pontifice cõcilium celebretur, non quidem vocatis toti⁹ orbis christiani episcopis (cõgregatis tamen Italiæ prælatis, aut alterius prouintiæ) ad definitionem alicuius negotij constituendam, q̃ apud omnes christiani principatus plątos, vt vniuersale dogma recipiatur, hoc concilium generale, & vniuersale dici poterit: nõ primo, sed secũdo modo: nempe ratione vniuersalis auctoritatis, quam habet ab ipso Christi vicario, quemadmodum explicat Cardinalis a Turre cremata in lib. iij. de ecclesia cap. iij. Et in sũma. xvij. distin. art. primo. Præposit. in ca. canones, num. xvij. distin. xv. Hæc vero posterior vniuersalis cõcilij appellatio non ita, vt prior, propria est: ex ea tamen quarta conciliorum species deducitur.

¶ Est enim alia Cõciliorum species, q̃ medias obtinet partes. Nã q̃dam cõcilia ita sunt instituta, & celebrata, vt nec prouincialia, nec generalia, aut vniuersalia dici proprie possint. Cõcilium siquidẽ ab ipso Romano Põtifice de rebus vniuersalibus cum paucis episcopis congregatum, etiã si vniuersalem auctoritatem habeat, vniuersale, aut generale vere, ac proprie dici nõ potest: nec tamẽ prouinciale recte appellabitur. Huiusmodi plura sunt Concilia, q̃ Romæ a Pontificibus vocatis proximis Episcopis, & Cardinalibus cõgregata fuerunt: atq; ita commemorantur plura Romana Concilia, q̃ generalia minime dicũtur: quod paulo post demõstrabitur. Sic Conciliũ illud, cuius meminit Lucas act. cap. xv. proprie generale non fuit: qa ad id minime fuere vocati omẽs Apostoli, nec alij curã spiritualem eo tẽpore, vt plati, habentes. Idem respondẽdũ est de concilijs, q̃ Romæ Victor primus super paschatis solennitate, &

Cornelius aduersus Nouati hæresim ante Nicænam synodum, & Syluester: item Iulius Primus post eãdem synodum habuere, quorum superius mentionem fecimus. vnde sępissime canones citantur ex concilijs Romanorum Pōtificum auctoritate, & ab eisdē celebratis: q̃ tamē concilia absq; dubio nusquã generalia dicta fuere. atq; ideo tunc est animaduertēdum, eas canones editos fuisse a Romano Pontifice in concilio generali quidē ratione auctoritatis, sed non proprie: quia pauci Episcopi ad eam synodū, non omnes totius ecclesiæ, fuere vocati. cap. in syno. lxiij. dist. notat Abb. in. q. j. incipienti. Episco. num. xxix. Rursus e contrario q̃dã concilia prouincialia nominantur, & censentur, q̃ tamē proprie prouincialia non sunt: etenim ꝓuincialia dicunť ꝓprie, q̃ ab Archiepiscopo, Primate, aut Patriarcha cōuocatis eiusdē prouinciæ Episcopis celebrantur. Et hac ratione oĩa concilia olim ante cladem illã Hispaniarū Arabibus eas occupantibus, celebrata prouincialia sunt. Alia tamen fuere ab initio renascentis ecclesiæ cōgregata, q̃ & si prouincialia dicantur, plurium tamen prouinciarū Episcoporum conuentus, & cōgregatio efficit quidem, vt fere generalia sint: aut medias partes obtineant inter prouincialia, & generalia: qualia fuere concilium Antiochenum aduersus Paulum Samosatenū sub Dionysio Papa: Ancyranū sub Marcello: Neocęsariense sub Melchiade, & plæraq; his simillima, q̃ nomen conciliorū vniuersalium habere non possunt: quia non fuerint a Romanis Pontificibus celebrata: nec ad ea vocati fuerint vniuersi orbis episcopi: nec itē vere prouincialia sunt: cum eorum cōuocatio modum excedat prouincialium synodorum: & ꝑterea negotia tractauerint omnibus christianæ reipublicæ prouincijs communia.

¶ His p̄missis apparet ad propriam, & veram conciliorum originem dicendum esse: Cōcilia omnia procedere a ratiōe naturali, q̃ dictat, ardua negotia mature, & plurimū iudicio, & consilio tractãda, & definienda fore: Cōcilia vero vniuersalia ratione auctoritatis, ab ipsis apostolis originem habuisse: Vniuersalia autē ratione cōgregationis, ętate Constantini magni primum incepisse: omniumq; primã vere vniuersalem, & generalem synodum fuisse Nicęnam. Nã (vt auctor est Isidorus lib. vj. Etymologiarum cap. xvi. cuius Gratianus meminit in cap. j. distin. xv) canones generalium Cōciliorum a temporibus Constantini cœperunt. In præcedentibus nãq; annis persequutione feruente docēdarum plebium minime dabatur facultas: vnde Christianitas in diuersas hæreses scissa est: quia nō erat Episcopis licentia conueniendi in vnum, nisi tempore supradicti Imperatoris. Ipse enim dedit facultatē Christianis libere congregari. Hæc Isidorus, cuius opinionem posteriores historici sequuti sunt: & varijs ac pluribus conciliorum Canonibus Nycæna synodus omnium prima censetur, vt pro

bat

bat tex.in dict.cap.j. Et hoc in capite sæpius respõsum est maxime in vers. Ab hoc Nicæno concilio.

¶ Post Nicænam synodum & aliæ synodi generales celebratę fuerũt, quorum præcipuas modo commemorabimus rationem vniuscuiusq; temporis habentes ad veterum canonum faciliorem intellectum.

¶ Secunda synodus generalis Constantinopolis celebrata est tẽporibus Gratiani, & Theodosij Principũ sub Damaso Papa huius nominis primo. Huic synodo fuere præsentes cẽtum quinquaginta Episcopi, qui eidem synodo subscripserũt. Fuit autem hæc secunda synodus congregata Anno Domini tricentesimo octuagesimo octauo secundum Faustinum, qui scribit a Nicæna synodo ad hanc secundam fluxisse annos sexaginta tres, vnde conuenit cum Eusebio, qui Nicænam synodum tribuit Anno Domini tricentesimo vicesimo quinto. In ipsius quidem concilij initio adest testimonium, hanc synodum congregatã fuisse Aera quadringentesima decima nona, qui numerus conuenit Anno Domini tricẽtesimo octuagesimo primo. Prosper autẽ Aquitanicus post Eusebij chronicon scribit, hoc concilium celebratum fuisse Anno Domini tricẽtesimo octuagesimo tertio sub Gratiano, & Theodosio seniore, conuenisseq; ad hanc synodum centum octuaginta patres. Itaq; parum cõuenit inter hos autores quo anno fuerit concilium hoc celebratum. Constat quidem synodum hanc congregatam fuisse temporibus Gratiani, & Theodosij senioris: quemadmodum apparet ex Ecclesiastica historia tripartita. lib.ix.cap.xij. & sequẽtibus: ac Theodorito lib.v.ca.viij. Prospero Aquitanico in additiõibus ad Eusebij chronicon: & Isidoro in principio conciliorum. & cap. prima autem synodus.xvi.distin. Quam obrem quidam hoc concilium Imperio tantum Theodosij tribuunt, sicuti visum est Isidoro lib.vi. Etymo. ca.xvi.cap.j. dist.xv. Gelasio Papæ in cap. sancta Romana.ead. dist. Ex eo quod cum Gratianus & Theodosius concordi animo diuisam haberent Imperij administrationem, & Italia, Gallia, atque Hispania a Gratiano: Constantinopolis, Thracia, Græcia, & reliquæ Orientis prouinciæ a Theodosio regerentur, ipseq; Theodosius tempore huius concilij Constantinopoli adesset, eamq; vrbem solus obtineret, ab historicis eius tantum mentio fit, cum de hoc concilio tractarunt. Rursus Beda in lib.de ratione temporum cap.lxv.cap. Sexta synodus. xvi. dist. hoc concilium Imperio tantum Gratiani tribuit, eo quod Gratianus primum Romanum Imperium obtinuerit, ac demum Theodosium socium Imperij ob insignes eius virtutes fecerit. Quasi ex hoc Bæde visum sit, Imperij nomen, & dignitatem penes Gratianum tantum fuisse. Gratianus autem occisus fuit a Tyrannis Anno Domini tricentesimo octuagesimo septimo: quemadmodum idem Prosper

Aquitanicus scribit: quod & verisimillimum esse ostenditur autoritate Pauli Diaconi: qui scribit, Gratianũ mortuo Valente sex annos cum ipso Theodosio Imperium tenuisse ab anno vrbis conditæ. M. centesimo tricesimo secũdo: qui idem est cum Anno a natali Domini tricẽtesimo octuagesimo primo, si consideremus Christũ natum fuisse ab vrbe condita Anno septingentesimo quinquagesimo primo: quod ex temporũ ratione probatur. Hinc deniq; manifestũ fit, nõ recte cõputationẽ temporũ factã fuisse a Faustino, dum is testatur, cõcilium hoc Cõstantinopolitanũ celebratum fuisse Anno dñi tricẽtesimo octuagesimo octauo: cum iam eo Anno Gratianus mortem obierat. Mihi magis placet ratio temporũ hac in cõtrouersia habita a Prospero Aquitanico, vt hoc cõcilium congregatum sit Anno Dñi tricẽtesimo octuagesimo tertio, aut saltẽ octuagesimo quarto ex his, quæ modo adduximus. Et quia in ipsius concilij præfatione scriptum est, id cõgregatũ fuisse Siagrio, & Eucherio Cõsulibus: vel Euagrio, & Eucherio secũdum Cassiodorũ lib. tripartitæ. ix. cap. xij. Quorũ Consulatus a Prospero, & alijs, qui Consulũ rationẽ habuere, tribuitur Anno dñi tricẽtesimo octuagesimo quarto, a quibusdam octuagesimo tertio: a Marcellino comite in chronico hi Cõsules adscribũtur indictioni Nonæ, quæ conuenit Anno tricẽtesimo octuagesimo primo. Idemq; Marcellinus huius synodi celebrationẽ scribit cõtigisse sub his Consulibus Siagrio & Eucherio, quæ quidem cõputatio conuenit testimonio ipsius concilij: vbi traditur ad rationem Aeræ eius tẽpus, sicuti paulo ante notauimus.

¶ Hæc secunda synodus congregata est contra Macedoniũ Episcopũ Cõstantinopolitanũ, qui negabat spiritũ sanctum Deum esse. tex. in dict. cap. prima autem synodus. xvi. distin. & in cap. j. dist. xv. Atq; idẽ apparet ex historia Ecclesiastica, cuius modo mẽtionẽ fecimus. Illud tamẽ est aduertẽdũ, quod statim in initio hui⁹ synodi Nectari⁹ genere nobilis ordinat⁹ est, & cõstitut⁹ Episcopus Cõstãtinopolitanus, vt in actis eiusdẽ cõcilij refertur, & asserunt Beda in lib. de temporibus. cap. lxv. & cap. sexta synodus. & ca. sequenti. xvi. dist. Cassiodorus in tripartita lib. ix. cap. xiij. quo in loco scribit ante electionem Nectarij, et post eam Timotheum Alexandrinũ Episcopum fuisse. Nam et hic Timotheus Alexandrinus Episcopus huic synodo subscripsit, quod ex subscriptione manifestum fit. Hæc ideo adnotauimus, vt cõstet apud Gratianũ in cap. prima autẽ synodus. xvi. dist. locũ esse mẽdosum: dũ legitur, hãc synodũ celebratã fuisse tẽporibus Damasi Papæ Romani, Cyrilli Hierosolymitani, Nectarij Alexandrini. Est etenim legendũ, Nectarij Cõstãtinopolitani: aut Timothei Alexandrini. Eodẽ tpe Damasus Romę cũ Episcopis ecclesię occidẽtalis conciliũ solẽne celebrauit ad eandẽ hæresim extirpandam: eiusq; negotium literis hinc inde

missis tractatum est ab vtraqꝫ synodo: quod Theodoritus, & Cassiodorus in præcitatis locis memoriæ tradiderunt: obtinuit tamen, vt cõsensu, & autoritate Damasi, & synodi Romanæ definitio Constãtinopolitanæ synodi, vt Catholica, omnibus cõmunis esset: atqꝫ ita hæc synodus præcipuum nomen habuit, vt secũda generalis omnium consensu nuncupetur.

¶ Tertia synodus generalis apud Ephesum, minoris Asiæ vrbem maritimã, congregata est sub Cælestino Romano Põtifice huius nominis primo, & Theodosio iuniore Imperium Romanũ obtinente, aduersus Nestorium Constantinopolitanũ Episcopũ, qui in beatam virginẽ blasphemans, purũ hominẽ ex sancta virgine Maria natum asseruit, vt aliam personã carnis, aliã faceret deitatis: nec vnũ Christũ in verbo dei, & carne sentiret, sed separatim, atqꝫ distincte alterũ filiũ dei, alterum filiũ hominis prædicaret. Meminerunt huius cõcilij plures textus iuris canonici præsertim cap. j. & ca. sancta Romana ecclesia. xv. dist. cap. sexta synodus. & ca. prima autẽ. xvi. dist. Conuenereqꝫ in vnũ ad hanc synodũ ducẽti Episcopi iuxta Isidori testimonium in dict. cap. j. Et Prosperi Aquitanici in Eusebij chronico: licet tex. in dict. cap. sexta synodus. cẽtum tantum Episcoporum, & in cap. prima autem. tercentum Episcoporũ meminerint. Hoc vero concilium cõgregatum est, & celebratũ autoritate Cælestini Romani Pontificis, qui vices suas ad id negotium cõmisit Cyrillo Alexandrino Episcopo, vt is in concilio legati Apostolicæ sedis officium haberet autore Nicephoro in historia ecclesiastica: aut sane legatis a Romano Pontifice constitutis Archadio ab Italia destinato, & Cyrillo Alexãdrino, vt scribit Gelasius Papa in dict. cap. sancta Romana. xv. dist.

¶ Quo autem Anno fuerit hæc synodus celebrata maxime dubium est: illud certius videtur, quod hoc concilium celebratum fuit Anno domini quadringentesimo tricesimo, secundũ Faustinum in epitome: cui conuenit, quod in principio eiusdẽ concilij prænotatum extat, id congregatum fuisse Aera quadringẽtesima sexagesima octaua. Idem deducitur ex Marcellino in chronico, qui hoc concilium adscribit indictioni decimæ tertiæ, quæ conuenit Anno tricesimo post quadringentesimum a Domini natiuitate. Idem Marcellinus asserit, & in huius concilij inscriptione additur, hoc solenne concilium contigisse Theodosio. xiij. & Valentiniano ter Consulibus, qui Consulatus iuxta Consulum computationem conuenit Anno quadringentesimo tricesimo tertio secũdum Prosperum Aquitanicum: aut tricesimo secundo iuxta computationem aliorum. Sic ipse Prosper Anno penultimo Põtificatus Cælestini hoc cõcilium tribuit, & ita Anno tricesimo quarto. Qua ratiõe inter Prosperũ, et ipsius synodi inscriptionẽ discrimẽ est in annorꝫ Christi numero, & in Cõsulib⁹: nõ in Anno sũmi Põtificatus ipsi⁹ Cælestini. Siquidẽ ipse

Prosper annum tricesimum quartũ penultimum fere esse censet Cælestini Pontificis, in ipsiusq́ synodi initio testimonium adest Mariani Scoti, id cõcilium celebratum fuisse Anno penultimo Pontificatus Papæ Cælestini. Consules autem nominat Prosper Bassum, & Antiochum: quos itẽ ad hoc nominauit Cassiodorus lib. xij. historiæ tripart. cap. v. Quod vero Nicephorus scribit historię ecclesiast. lib. vnico. hoc concilium celebratum fuisse vicesimo quinto anno Theodosij iunioris, verisimile non est, cũ is Imperium acceperit Anno domini quadringentesimo vicesimo sexto: vt autor est Prosper in chronico: & secundum eundem Cælestinus mortẽ obierit Anno fere quadringentesimo tricesimo quinto, quo viuẽte certissimum est huius synodi celebritatẽ accidisse. Nisi dixerit quispiam Imperiũ Theodosij initium habuisse ab Anno quadringentesimo decimo, quo (autore Prospero Aquitanico) Honorius Imperator Theodosiũ iuniorẽ fratris filium cõsortem fecit Imperij. Quam ob rem forsan videbitur quibusdam, synodum hanc tertiam tribuendã esse Anno domini quadringentesimo tricesimo quarto. Cui sententiæ consensit Prosper. Et videt adstipulari Nicephorus, dum scribit eam congregatam fuisse vicesimo quinto Anno Imperij Theodosij. His accedit & Cassiodorus, qui eosdẽ Cõsules eo tẽpore cõmemorat, quos ipse Prosper noĩauit. Deinde annus penultimus Cælestini ad hanc rationem facit, quẽ Marianus Scotus adscribit huius cõcilij congregationi.

¶ Quarta generalis synodus apud Chalcedonẽ vrbẽ, atq́ Bithynię Metropolim pręsentibus sexcentis triginta Episcopis celebrata fuit sub Leone Romano Põtifice huius nominis primo: & Imperio Martiani Imperatoris aduersus Euthychẽ Abbatẽ Cõstãtinopolitanum, qui asserebat, Christũ post humanã adsumptionẽ non ex duabus naturis, sed ex sola diuina natura existere, & permanere. Extat de hac synodo testimoniũ hoc in cap. j. & in cap. sancta Romana. xv. dist. & in cap. sexta synodus. & seq. xvi. dist. locũ tenuere in hac synodo Romani Pontificis, vt eius legati, Paschasinus, Lucentius Episcopi, & Bonifacius presbyter, sicuti in prima eius actione traditum est.

¶ Constat autẽ hãc synodũ cõgregatã fuisse tẽpore Leonis primi Papæ, & Martiani Impatoris: quo vero anno, maxime dubiũ est apud autores. Nã in ipsius synodi inscriptiõe, & in titulo memoriæ traditur, eã celebratã fuisse Aera q̃dringẽtesima octuagesima octaua, Valẽtiniano septies, & Auieno viris clarissimis cõsulibus. Numer⁹ Aeræ supradict⁹ cõuenit anno dñi quadringẽtesimo quinquagesimo primo. Quo quidẽ Anno erat indictio quarta: sub qua in prima hui⁹ cõcilij actione apparet cõciliũ celebratũ fuisse. Atq́ hæc est certior ratio tpis: licet dicti Cõsules ab historicis tribuãtur Anno dñi quadringẽtesimo quinquagesimo secundo. Marcellinus co-

mes in chronico indictiōi quartę, quę Anno quinquagesimo primo conuenit, vt diximus, hanc synodū tribuit: tametsi Cōsules nominauerit Martianum, & Adelphium. Faustinus scribit hoc concilium conuentum fuisse Anno domini quadringētesimo quinquagesimo sexto. Marianus Scotus id tribuit Anno domini quadringentesimo quinquagesimo secūdo consulibus Opilione, & Vincomalo: quib⁹ tamen ab alijs annus domini quadringentesimus quinquagesimus quintus adscribitur. Sed & Matthęus Palmerius in chronico Eusebij hāc synodū Anno quadringentesimo quinquagesimo quarto referendam esse censet, illos quidem autores sequutus, qui tradiderūt eam celebratam fuisse Anno secundo Imperij Martiani, qui secundum cum nactus est Imperij regimen Anno domini quadringētesimo quinquagesimo tertio. Alij vero huius Imperij initium Anno domini quadringētesimo quinquagesimo adscripsere statim post mortem Theodosij iunioris: quod magis conuenit primæ huius synodi computationi.

¶ Hęc sunt quatuor prima generalia cōcilia, quorū meminit tex. in cap. j. dist. xv. & cap. sicut sancti. & cap. sancta Romana ecclesia. eadem dist. et in. l. nos reddētes. §. suscipimus. C. de summa trinit. &. l. quicunq;. C. de heret. & in auth. de ecclesiast. titulis in princip. Ex quibus autoritatibus illud plane constat, hæc quatuor concilia præcipuum nomen olim habuisse apud Christianæ religionis cultores: atq; ita diuus Gregorius lib. j. epistola. xxiiij. ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanū de his sic loquitur. Sunt sancti euangelij quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere, & venerari me fateor. Quod a Gratiano relatū est in dict. cap. sicut sancti. xv. dist. De his Isidor⁹ scribit in cap. j. eadem. xv. distin. Quod cōplectūtur quatuor hæc concilia totā fidem quasi quatuor euangelia: vel totidem paradisi flumina.

¶ Sed quia veteres canones octo vniuersalia, & generalia concilia commemorāt, sicuti expressum est in cap. sancta octo. xvi. dist. Idcirco aliorū quatuor generaliū conciliorū mentionem faciemus hoc in loco, ex eo quod præcipua sint: reliqua, quæ supra scripta octo celebrata fuerint, omittentes.

¶ Quinta igitur synod' generalis celebrata fuit apud Cōstātinopolim sub Iustiniano Imperatore hui⁹ nominis primo, qui ius ciuile in pādectarū epitomen reduxit: nouellas, & institutiones ad faciliorem Romanarū legum interpretationem constituit. Hæc synodus cōgregata est ex centum quinquaginta sex Episcopis, quorum aliquot ex Italia ad concilium venerūt, habuitq; hæc congregatio autoritatē Romani Pōtificis præsidēte Menna Patriarcha Constantinopolitano. In hac synodo damnata fuit hæresis Petri Anthymi, Seueri, & aliorum, qui asseuerabant, trinitatem fuisse crucifixam. Item & hæresis Theodori damnata est, qui proterue contendebat, Mariam dei genitricē non fuisse,

De huius concilij anno dubitant plæriq;. Quidam etenim hãc synodum tribuendam esse opinãtur Anno domini quingentesimo quinquagesimo tertio. Quæ quidem cõputatio non conuenit his, quæ prima huius concilij actione referuntur. Ex ea enim cõstat Agapetum Romanum Pontificem post cœptã synodum statim ad eam accessisse: & eãdem synodum celebratam fuisse, si eius initium consideremus indictiõe decima quarta, eo quidem anno quo summum Pontificatum habuit Agapetus, is vero fere vno anno obtinuit Apostolicam sedem: qui iuxta rationem eorum, qui diligenter numerum annorum obseruauerunt, fuit a domini natiuitate annus quingẽtesimus tricesimus sextus, cui indictio decima quarta omnino cõuenit. Idcirco licet res ipsa dubia sit, nobis tamen magis placet, concilium hoc congregatum fuisse anno quingentesimo tricesimo sexto. Hoc autẽ concilium, vt apparet ex eiusdẽ actis, & historicis, cõtinuam habuit seriem temporibus Agapeti, Syluerij, & Vigilij Romanorum Põtificum. Quorum duo primi fere trib⁹ annis Apostolicum præsulatum habuere: Vigilius vero annis fere decem & septem. Vnde is peruenit ad annum quingẽtesimum quinquagesimum septimũ: qua ratione effectum est, vt qui huius principatui adscribunt huius synodi celebrationem, existiment eandem synodum congregatam fuisse anno domini quingentesimo quinquagesimo tertio: imperij vero Iustiniani vicesimo sexto. Quib⁹ repugnat, quod initium huius concilij Agapeto Romano pontifici tribuendum est, iuxta ipsius cõcilij acta. Capitula vero huius synodi post modũ edita fuere ab Eutychio Patriarcha Constantinopolitano anno imperij Iustiniani vigesimo septimo indictione prima. Qui quidem annus conuenit fere anno domini quingentesimo quinquagesimo tertio. Siquidem Iustinianus imperiũ nactus est ãno domini vicesimo quinto, aut vicesimo sexto supra quingentesimum. Atq; hinc occasionẽ, & causam habuere, qui hoc cõcilium adscribũt anno domini quingẽtesimo quinquagesimo tertio.

¶Ex quibus manifestũ est apud Gratianum in libro Decretorum mendosum esse codicem in cap. sexta synodus. & in cap. prima autẽ synodus. xvi. dist. dum ibi legitur, conciliũ hoc celebratũ fuisse sub Iulio primo Romano Pontifice. Legẽdum vero est: temporibus Vigilij Papæ, aut Agapeti: aut Syluerij. Nam Iulius Romanus Pontifex huius nominis primus iam ante hoc concilium fere centum octuaginta annis mortem obierat. Idcirco apertissime probatur emendandam esse literam in dictis canonibus: atq; ita visũ est Iacobatio. lib. j. de cõcilijs. pagina. xij.

¶Huius quintæ generalis synodi mẽtio fit a diuo Gregorio in epistola. xxiiij. lib. j. et cap. sicut sãcti. xv. dist. in capit. qm̃ sãctę. xvi. dist. et in sexta synodo actione. iiij. & canone. ij. eiusdẽ sextę synodi, et plerisq; alijs ĩ locis.

¶Sexta synodus generalis congregata fuit sub Agathone Romano Pontifice huius nominis primo, & Constantino Imperatore quarto aduersus Sergium, Paulum, & alios Cōstantinopolitanos Archiepiscopos, qui impie docuerunt vnam volūtatem, vnā operationem in dispensatione incarnationis domini nostri Iesu Christi: habitaq; fuit apud Cōstantinopolim cōgregatis centum quinquaginta episcopis: ac locum Romani Pontificis tenuerūt eius legati Theodorus et Georgius presbyteri, & Ioannes diaconus. Fuit in hac synodo dānata prædicta hæresis, cui hæresi accesserunt Macharius Antiochenus Episcopus vt constat actione prima huius synodi. Eratq; eo tēpore Archiepiscopus Cōstātinopolitanus Georgius. Eiusdem synodi actiones habitæ fuerunt præsente Constantino, & in secretario palatij, quod cognominatur Trullus: vnde frequentissime appellatur isthæc synodus ab eo loco, synodus in Trullo. Annus huius cōcilij (sicut & aliorum) varius est apud autores: nam Matthæus Palmerinus adscripsit hoc concilium Anno domini sexcentesimo octuagesimo secundo. Cui proxime accedit indictio nona, quæ anno octuagesimo primo conuenit: cui quidē indictioni & septimæ Nouembris diei apponitur prima huius concilij actio: vt verosimile sit, synodum hanc anno octuagesimo primo cœptam fuisse, & demum sequēti anno, & forsan alijs cōtinuatam: tametsi actiones omnes sextæ synodi, vt ex eis cōstat tribuātur indictioni nonæ, & Agathoni Pontifici. Agatho autē sedem apostolicam obtinuit secundū diligentissimam annorum computationem annis sexcentesimo septuagesimo octauo, & fere tribus sequentibus. Vnde patet obseruata ratiōe indictionum, hoc concilium congregatum fuisse anno octuagesimo primo, & secundo supra sexcentesimum a natiuitate: cum vtriusq; anni numerus complectatur nonam indictionem. Siquidem prima actio contigit mense Nouembri nonæ indictionis, quæ initium habuerat a mense Septembri, & reliquæ actiones contigerunt mēsibus proximis etiam sequentis anni a natiuitate domini vsq; ad mensem Septembris. Quamobrem indictio nona incepit anno domini sexcentesimo octuagesimo primo, & processit anno octuagesimo secundo: eademq; ratione synodus ista Anno domini sexcētesimo octuagesimo primo initium habuisse videtur mense Nouembri: si consideremus indictionem nonam eo tempore Anno domini octuagesimo primo supra sexcentesimum conuenisse quo ad eius initium contingens mense Septembri, et deinde continuā fuisse anno sequenti octuagesimo secū do. Verū q̄a indictio ei anno dñi tribuitur, cuius maiorē habet partem, fortassis verior erit computatio, si cōsideremus indictionem nonam incepisse tempore huius synodi a mense Septēbri anni a natiuitate domini octuagesimi supra sexcentesimum: eandemq; indictionē durasse vsq; ad in

tegrum mensem Augusti anni octuagesimi primi: quo anno mensis Septēber erat indictionis decimę. Sic actiones eiusdem synodi omnes tribuuntur indictioni nonæ preter decimam septimam, & decimam octauam, quæ contigerunt mense Septembri, & tribuuntur indictioni decimæ, cum actio decima sexta mense Augusti habita eiusdem anni tribuatur indictioni nonæ. Igitur hoc concilium potest adscribi anno sexcentesimo octuagesimo quo ad eius initium: & anno item octuagesimo primo quo ad eius continuationem. Atque ita Sigibertus hanc synodum adscribit anno octuagesimo primo post sexcentesimum.

Ex quibus hæc est verior obseruatio temporum, quãuis quidam hoc conciliũ celebratum fuisse scripserint Anno sexcentesimo septuagesimo quarto. Attamen in septima synodo actione quarta mentio fit huius sextæ synodi; & traditur ibi eam fuisse celebratam anno fere decimo quarto Imperij Constantini: qui denique annus proximus apparet anno octuagesimo primo post sexcentesimum a natiuitate domini. Idem probatur in cap. habeo librum. xvi. dist. quo in loco constat, synodum hanc dissolutã fuisse Anno Imperij Cõstantini decimo quarto: quæ synodus nullos canones tunc edidit: sed paulo post quatuor, aut quinque annis decursis Episcopi fere omnes, qui sextæ synodo subscripserant, apud Constantinopolim in eodem loco, nempe in Trullo conuenerunt, & canones ediderunt, qui passim sextæ synodo tribuũtur: quorum aliquot Gratianus cõmemorat. Horũ canonũ meminit tex. in dict. cap. habeo librum. Et generalis septima synodus actione. iiij. & vi. vnde in cap. sextam synodum. xvi. dist. dũ legitur: quarta actione sextæ synodi: legendum est, septimæ synodi, quod iam semel hoc in capite admonuimus. Fit item mentio horum canonum sextæ sinodi in concilio Florentino sessione quinta. Editi fuerũt hi canones numero centum & duo, sub Iustiniano secundo Constantini quarti filio: quos canones e græco in latinum traduxit Gentianus Heruetus Aurelianensis.

¶ Septima synodus apud Nicæam Metropolim congregata fuit ex tercentum quinquaginta Episcopis sub Constãtino sexto, & Irene eius matre, ac Romano Pontifice Hadriano huius noĩs primo, qui legatos Apostolicæ sedis ad eandẽ misit synodũ, vt in ea eius locum tenerẽt. In hac synodo damnati fuere hi, qui imagines in ecclesijs damnant, & eijciunt: atque aduersus eos autoritatibus sacrę scripturæ catholice definitum est, imaginum expressiones, & reliquias sanctorũ venerandas esse, relatiueque adorandas. Huius synodi annus, quo quidem incepit, varius est apud autores. Nã Faustinus in epitome tribuit hoc concilium Anno domini septingentesimo nonagesimo tertio. Matthæus Palmerius in chronicis ad Eusebium additis Anno septingẽtesimo nonagesimo: alij vero Anno domini

ſeptingēteſimo octuageſimo primo. Ego vero initium huius concilij tribuendum eſſe cenſeo menſe Septembri ad eius finē, Anno domini ſeptingēteſimo octuageſimo ſeptimo: ac deinde eodem anno continuatam fuiſſe opinor, cum eius prima, & ſequentes actiones in dictiōi vndecimæ tribuātur: quæ quidem indictio & ſi Anno a natiuitate domini ſeptingēteſimo octuageſimo octauo conueniat, cœpit tamen a menſe Septembri anni præcedentis, ſcilicet octuageſimi ſeptimi. Prima vero actio huius concilij contigit octauo calendas Octobris indictione vndecima. Quæ quidem vndecima indictio, cum conciliū hoc celebratū fuerit ſub Hadriano Papa huius nominis primo, non conuenit alicui Anno eius temporis, niſi octuageſimo octauo, & præcedenti. Extāt actiōes huius ſynodi abſq; canonibus Coloniæ excuſſæ, a Græco in latinū traductæ per Georgiū Lōgoliū. Canones vero habenē in Nomocanono Græco, interp̄te Gentiano Herbeto.

¶ Octaua ſynodus generalis congregata fuit apud Conſtantinopolim ex cētum quinq; Epiſcopis ſub Hadriano ſecundo Romano Pōtifice: & Baſilio Cōſtantinopolitano Cæſare ad depoſitionem Photij, & reſtitutionē Ignatij Archiepiſcopi Conſtantinopolitani. In eius prima actione teſtimonium adeſt, quod fuerit celebrata Anno tertio Baſilij, & Cōſtantini Imperatorum: cui ſynodo interfuerunt Donatus & Stephanus Epiſcopi, & Marinus Diaconus, qui locū tenuerūt Hadriani Romani Pōtificis. Annus autem huius ſynodi a natiuitate domini cenſetur octingenteſimus ſeptuageſim⁹ quintus. Matthæus Palmerius annum tertium Baſilij Imperatoris cēſet a natiuitate domini octingenteſimum ſeptuageſimū, aut ſeptuageſimum primum.

¶ Septimæ ſynodi mentio fit in cap. placuit. & in cap. ſextam. cap. ſanctā. xvi. diſt. Octauæ itē meminit tex. in dict. cap. placuit. et in dict. cap. ſcā. quo in loco autoritas ad hoc traditur Hadriani Papę ī epiſtola ad Taraſiū Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum: ex quo apparet eſſe autoritatem Hadriani primi: nam is ad Taraſium ſcripſit, & autoritatem dedit ſeptimæ ſynodo: ſub quo fuit celebrata. Vnde in dict. cap. placuit. dū mentio fit octaui concilij, nō ſunt Hadriani verba, nec ex eo ad hoc teſtimoniū adducitur: ſed ad approbationem ſextæ, & ſeptimæ ſynodi. Item dum in eodem capite ſcriptum eſt, canones Apoſtolorum approbatos eſſe, & receptos a ſexta ſynodo, ſiue in ſeptimo concilio, eſt aſſumendum id copulatiue: nam in vtraque ſynodo recepti fuere canones Apoſtolorum. Vel Gratianus appellat ſeptimum concilium, eam congregationem, quæ (ſoluta iam ſexta ſynodo) iterum facta fuit Conſtantinopoli ſub Iuſtiniano filio Conſtantini ad edendos ſextæ ſynodi canones, quod patet in cap. quoniam ſanctæ. xvi. diſt. & in cap. habeo librum. ea. diſt. & in actione. iiij. ſeptimæ ſynodi.

¶Ex omnibus, quæ superius adduxi mus, constat qualiter sit intelligendus tex. in dict. cap. quoniam sanctæ. Dũ quintam synodum sub Iustiniano cõgregatam canones non edidisse inibi asseritur. Nam quinta synodus vere canones non edidit, sicuti apparet in eius actiõibus: sed capitula quatuordecim constituit, & ordinauit ad definitionem eorum, quæ in actionibus fuerant disputata: quod probatur in cap. prima autem. xvi. dist. §. quinta. quo in loco dum mẽtio fit viginti septem capitulorum, forsan legẽdũ est, quatuordecim. Subdit tex. in dict. ca. quoniam. Quintam synodum celebratam fuisse sub Iustiniano Augusto, & sextam sub Constantino patre suo. Hoc vero falsum est: siquidẽ Cõstantinus, qui præsens fuit sextæ synodo, minime fuit pater Iustiniani primi, cuius ætate celebrata est quinta synodus. Atq; ideo verba illius tex. sũt deducta ex canonibus sextæ synodi: & referũtur ad Iustinianum secundũ filium Constantini, qui præfuerat sextæ synodo. Episcopi etenim, qui conuenerant in Trullo ad edendos canones sextæ synodi, iam ea soluta tẽpore Cõstãtini, & eo mortuo ad Iustinianum eius filiũ ita loquũtur: Quoniã sanctæ, & vniuersalis synodi quinta sub Iustiniano Augusto, & sexta sub Cõstantino patre tuo. & cætera. Alioqui non potest illius canonis litera defendi secundum Card. a Turre Cremata in cap. j. dist. xvi. & Iacobatium de concilijs lib. j. pagina. xiij.

¶Hinc etiã patet, quod licet sexta synodus sub Constantino canones nõ ediderit, nouem tamen capitula tradidit, quæ in volumine cõciliorum Coloniæ excusso ferũtur adscripta actioni decimæ tertiæ sextæ synodi. idem probat tex. in cap. prima autẽ. vers. sexta. xvi. dist. vbi adest testimoniũ, quo cõstat, sextam synodum nouem tradidisse capitula, fidem catholicam, eiusq; definitionem ab eodem cõcilio tractatã continentia. Hoc ipsum asserit Card. a Turre Cremata in dict. cap. j. dist. xvi. col. iiij. citaturq; canõ prædictus in dict. cap. prima autem. ex Isidoro in principio conciliorum: qui quidẽ liber forsan Isidoro Hispalensi Episcopo tribuendus nõ est, cũ ibi mentio fiat sextæ synodi, quæ iam mortuo Isidoro videt̃ celebrata. Nihilominus dicta nouem capitula censeo ad sextam synodum pertinere, nec reijcienda fore. Obijt autem Isidorus Hispalensis Episcopus Anno domini sexcentesimo tricesimo septimo: nẽpe post quintum concilium Toletanum, & ante eiusdem vrbis sextam synodum, quæ celebrata fuit Anno sexcẽtesimo tricesimo octauo: anno equidẽ secũdo Cinthillę Gothorũ Regis.

¶Alia post hęc cõcilia vniuersalia ab eccl̃ia catholica celebrata fuere, q̃ summã in negotijs Christianę religiõis autoritatẽ habent: eorũ tñ hic peculiarẽ mẽtionẽ omittimus: quia de eorũ tẽpore, quo fuerint cõgregata, nõ ita dubiũ est, nec de eorũ actionibus. Atq; ideo ad originem generalium cõciliorum inquirendam, & obseruãdam satis nobis visum est, hæc sufficere.

¶Cap. secundi summa.

1 *Concilij vniuersalis conuocatio ad autoritatem Romani Pontificis regulariter pertinet.*

2 *Romanus Pontifex potest dispensare aduersus Concilij vniuersalis decreta, et constitutiones.*

3 *An possit per Concilium vniuersale constitui aliquod decretum, ex quo dispensationes Romani Pontificis tollantur?*

4 *Aliquot casus traduntur, in quibus absq; autoritate Papæ potest Concilium vniuersale congregari à Cardinalibus, vel ab alijs ecclesiæ Prælatis.*

¶CAPVT SECVNDVM.

¶Ad quem pertineat congregatio generalis Concilij.

POSTQVAM in præcedenti capite originem Conciliorum generalium deduximus, necessario sequitẽ explicare, cuius autoritate totius ecclesiæ Præsules ad conciliũ generale vocandi sint pro rebus & negotijs arduis definiendis. Et sane Romani Pontificis autoritatem necessariam esse ad congregationem generalis concilij
1 Decreuit Marcellus Papa: a quo constitutum est, vt nulla synodus præter sedis Apostolicæ autoritatem fiat. Ita enim in epistolis eiusdem Romani Pontificis continetur: epistola quidem prima ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ: & epistola secunda ad Maxentium Tyrannum cap. j. dist. xvij. quod falso inscribitur ex Marcelli epistola ad Maxentium Episcopũ. Ipsi enim, inquit Marcellus, Apostoli, & eorum successores Domino inspirãte constituerunt, vt nulla fieret synodus præter Romanę sedis autoritatem. Idem asseuerat Iulius Papa primus in epistola eius increpatoria ad Episcopos oriẽtales pro causis Athanasij Episcopi Alexandrini: & referẽ in cap. Regula. xvij. dist. & in cap. dudum. iij. q. vi. Item Pelagius Papa secũdus in epistola prima, quam scripsit ad Episcopos orientales contra Ioannem Episcopum Constãtinopolitanum, qui intentarat quoddam generale concilium conuocare. cap. multis. xvij. dist.

¶Eadem sententia probatur rationibus: & prima. Nam conuocatio collegij, & vniuersitatis vere, & iure pertinet ad illum, qui in eodem collegio principatũ obtinet, ac illius caput est. l. j. ff. de Albo scrib. notat Innocent. in cap. j. de maiorit. & obedi. tradunt doct. maxime Felin. in cã. cũ omnes. de cõstit. num. xxxv. Bart. & Platea in. l. ij. C. de decurionibus. lib. x. Prę po. in cap. Si quis Episcoporũ. xviij. dist. & in dict. cap. regula. Romanus autem Põtifex princeps est omnium prælatorum, & ecclesiæ caput, in quą Primatũ habet iuxta Catholicas sanctorum patrum ex euangelico testimonio traditiones: igitur ad eum, nõ ad alium expectat concilij vniuersalis congregatio.

¶Secũdo alia ratione probatur. Cõgregatio synodi pertinet ad curam, ac reginẽ totius ecclesiæ vniuersalis: sed hæc cura & solicitudo non alí quam Romano Pontifici conuenit, cum is

in.vi.l.ij.ff.si quis in ius vocat.nõ ierit.l.si quis ex aliena.ff. de iudic. cap. præterea.de dilatio. Ex quibus optime deducitur,proprie,& vere hãc potestatem conuocandi conciliũ vniuersale solius esse Romani Pontificis.

¶ Sexto hæc eadem sententia cõprobatur autoritate synodi Alexãdrinæ, quę ad Fœlicem Papam scribens, ita inquit: Nam scimus in Nicæna magna synodo trecẽtorum decem & octo Episcoporum ab omnibus cõcorditer esse roboratũ, non debere absq; Romani Pontificis sententia concilia celebrari, nec Episcopos damnari: licet hæc, & alia quamplura necessaria ab hæreticis, qui nos quotidie infestant,& perdere nituntur, vt facilius nos capere possint, sint synodica capitula incensa nobisque sublata. Hactenus testimonium Athanasij,& aliorũ,qui apud Alexãdriam pro rebus fidei tractandis cõuenerũt. Idem palam asserit Iulius primus in cap.xxx.decretorum.cap. ideo.ij. q. vi. Eandem opinionem tenuerũt glo. in cap.quod trãslationem. de off.leg. quã sequũtur Doct.ibi glo.& Doct. in cap.regula.§.porro.ij.dist.glo. in capit.sicut vnire.de excess.p̃lat.Ioan. Andre.in cap.Nemo.de elect.in.vi. Anania.in ca.fraternitatis. de hæret. col.j.Card.de Turre Cremat.lib.iij. de ecclesia. cap. vi. idem sensit Thomas. ij.ij.q.j.art. vlt. & .j. parte.q. xxxvi.art.ij.ad. ij.vbi asseuerat, vetera omnia concilia vniuersalis ecclesiæ autoritate Romanorum Pontificum fuisse congregata, Idem Thomas in tract.contra impugnantes religionem scribit: Sancti patres nihil possunt in concilijs cõgregati statuere, nisi autoritate Romani Pontificis interueniente. Hoc ipsum tenuerunt Florent.iij. parti.tit. xxij. cap. vi.§. xxij. & tit. xxiij. cap. ij.§. vij. Idem Cardina.a Turre Cremata in cap.j. distin. xvij. ad tertiam quæstionem, & Caieta.in tract.de auct. Papæ, & concilij.ca.xvi. & sequẽtibus. Atq; hæc quidem conclusio pro regula cõstituenda est,quam varie iuris diuini, & humani professores interpretãtur diligenter, & omni conatu laborantes,aliquot casus tradere, quibus possit concilium ab alio quã a Romano Pontifice conuocari:nempe a Cardinalibus sanctæ Romanæ ecclesiæ.

¶ In hac tamen controuersia nos missa faciemus multa, quæ solent ab alijs disputari: primum quidem,an ad puniendum,ac deponendum summum Pontificem symoniacum, vel hæreticum possit vniuersale concilium congregari, quod potestatem habeat iudicandi de his criminibus Romani Pontificis. Nam summos ecclesiæ Præsules, & Christi Vicarios ita diuini numinis gratia inspirante eligi, & electos moribus,ac fidei Christianæ doctrina institui opinamur, vt raro vel nunquã,quod verisimili cõiectura cẽseri pie potest, hæc immineat ecclesiæ catholicæ necessitas. Quæstionẽ tamen istã tractauerũt glo. & Doct.in cap.si Papa.xl.dist.Abb.in ca.significasti.de elect.idem in ca.cũ venissent. col.v.de iudic.Deti.in cõs.cli.& seq.

idē in cap.cū teneamur. de præbend. ex Theologis Caiet. in dict. tract. de potest. Papæ & concilij cap.xxv.& xxvi. Albertus Pighius lib.iiij. de ecclesiasti. Hierarchia.cap.viij. & lib. vi. cap.xiiij. cum duobus sequentibus. Rursus ex canonistis late Iason. conf.xcv.lib.iiij.q.vlt.& Iacobatius de concilijs.lib.iij.art.j.

¶ Itē præsertim illam quæstionē hic minime disputabimus, an concilium sit supra Papā,an ipse Romanus Pontifex sit concilio vniuersali superior. Etenim ipsum Christum Iesum pia mente precamur, ne vsquam permittat Petri nauiculam, eius sponsam ecclesiam,ita fluctibus dissensionum, & schismatum turbari, & agitari: vt oporteat,in hanc incidere calamitatem, quæ nos ad hanc disputationem impellat. Ita quidem minime oportebit inquirere an concilio vniuersali possit Romanus Pontifex resistere: item an & concilium ipsum possit inuito Romano Pontifice, & aduersus eius prohibitionem aliqua statuere ad statum Christianæ reipublicæ: vel iurisdictionem ad iudicandum ipsum Pōtificem habeat: de qua re latissime disputarunt Card. a Turre Cremata. lib.iij.de ecclesia.cap.xliiij.Caieta. in dict.tract.de potest. Papæ & concilij. Albertus Pighius in dict.ca. xiiij. & sequentibus. & Cardi. Iacobatius lib.vi. de concilijs. cap.j. & sequentibus.

¶ Illud vero non est prætermittēdū, quod etiam si vera esset opinio eorū, qui existimant concilium vniuersale superius esse ipsi Romano Pontifici, & supra ipsum habere iurisdictionē, ac cognitionem,quod modo nec refellimus, nec probamus: summam esse Papæ in ecclesia vniuersali autoritatem,a Christo Iesu ei concessam censentes: tamen quod fauentes vniuersali concilio arbitrantur,est accipiendū, & intelligendum intēsiue,ita quidem, vt si eodem tempore contraria concilium vniuersale, & ipse Papa præciperent,esset obediendum concilio,nō Papæ, & quod Papa teneretur concilio parere. In hūc sane sensum foret intelligenda prædicta opinio, quam etiam sic intellectam non probamus modo, sed tantum eius sensum tradimus,ne quis existimet eam sentētiam accipiendam esse extensiue, vt aliquid possit vniuersale concilium, quod nō possit Papa efficere: id enim falsum esse constat. Quicquid sane totius ecclesiæ vniuersale concilium potest,idē & Romanus Pontifex poterit secundum eam resolutionem, q̄ certior est, & magis ab autoribus recepta.

¶ Ex quo patet posse Romanū Pontificē dispensatione,aut decreto,alia velata lege, statutis concilij vniuersalis derogare. tex. est in ca. significasti. de electiōe.cap. bene quidem.xcvi.dist. 2
ad finem.glo.in cap. vbi periculum. verb.concilio generali.de elect.in.vi. & ibi Doct. Sicut ipsummet cōciliū posset. Vnde licet decisio.ca.cum in cunctis. de electio. sit facta in concilio generali, tollitur per Romanum Pontificem in cap.innotuit.eo. tit.ad idem tex.in cap.ij. iuncto. cap. pro-

posuit. de concess. præbend. cap. ij. eo.tit.in.vi.cap.nonnulli. de rescrip. iuncto.cap. statutum.eo.tit.in. vi.late Feli. in cap .j. iij. ampliatione. de constit. Et hæc est opinio communis omnium Docto. in dict. cap. significasti. & in dict. cap. vbi periculum. maxime tradit ibi Domi. sunt etiam multa in iure Canonico per cōcilium vniuersale statuta, quæ postea fuere a Romanis Pontificibus contrarijs canonibus reuocata: sicuti passim constant, & facilime possunt adnotari.

¶ His accedit quod Romanus Pontifex non a generalibus, aut vniuersalibus ecclesiæ concilijs, sed ab ipso Christo Iesu (vt Petri successor) supremum in alios, & in ipsam ecclesiam primatum habet, summamq; iurisdictionem, quemadmodum Nicæna synodus generalis in eius præfatione testatur. multisq; autoritatibus probatur ab his, q nostra ætate de primatu Petri scripserunt.

¶ Hinc & illud a plærisq; probatur, posse Papam dispensare contra statuta concilij vniuersalis: quod notant glos. & Doct.in cap.proposuit. de concess.præbend.glo.in dict.cap. vbi periculum. verb. concilio. Abb. in dict.cap. significasti.quo in loco alij Docto.idem communiter asseuerant. & Feli.in cap.j.de constit.num. xxiij. Cui opinioni suffragatur ratio, qua receptum est, posse Romanum Pontificem in iure humano dispensare: ea vero, quæ in concilio vniuersali statuta sunt, quatenus ius naturale, aut diuinum non continent, & exponunt, ad ius humanum pertinent, humanaque iura dicuntur: idque apparet ex eo, quod quotidie statuta in vniuersali concilio mutentur, ac reuocentur: quod fieri minime posset, si conciliorum vniuersaliū canones iuris diuini censerentur: cum id immutabile sit.

¶ Nam & Romanus Pontifex potest dispensare in canonibus Apostolorum, & in his, quę ab Apostolis fuere statuta secūdum Thomam quodlib. iiij. art. xiij. Imo & ea tollere, ac reuocare: idem etenim Thomas in tract. contra impugnantes religionem inquit, quod omnia statuta sanctorum patrum sunt relicta dispositioni Papę, vt possit ea mutare, vel in eis dispensare iuxta temporum oportunitatem. Idem scribit Archiepiscopus Remensis lib. de synodis ca. xxxix. dicens: Facultatem temperandorum, siue mutandorum canonum Romano Pōtifici adiacere nō dubitamus. Tradit optime Cardi. de Turre Cremata lib. iij. de ecclesia. cap. liiij.

¶ In illo equidem concilio, quod ab Apostolis celebratum est act. ca. xv. statutum est, vt Christiani abstinerent a suffocato, immolato, & sanguine. quod obseruatum fuit a Christianis etiam ex gentilibus religionē professis iam diu fere quadringētis annis, vt patet in concilio Gangrensi cap. ij. Idq; defendit, ac commemorat Tertullianus in Apologetico aduersus gentes cap. ix. Et tamē hoc institutū iā cōsuetudine toti' ecclesię sublatū est: siq. dē Christiani sāguinē, & suffocata co.

medunt. Igitur si consuetudo potuit tollere veterem Apostolorum legẽ in eorum synodo latam, poterit & Romanus Pontifex temperare, dispensare, denicꝫ reuocare Apostolorum canones, conciliorum vniuersaliũ statuta. Ea enim est humanarum legum cõditio, vt perpetuæ nõ sint: sed iustissime pro temporis, & personarum qualitate mutẽtur. cap. non debet. de con sã. & affinit. cap. alma mater. de sent. excom. in. vi.

¶ Quæritur tamen oportune, an in cõcilio uniuersali possit lex humana ita firmiter constitui, quod Romanus Põtifex in ea dispensare nõ valeat, atcꝫ
3 dispensatio nulla sit, si concessa fuerit aduersus hanc legem? Et Ioãnes Gerson Parisiensis Cancellarius .j. parte tract. iij. existimat posse conciliũ vniuersale, aliquem edere canonem, cuius dispensatio irrita, & nulla sit, etiam si à Romano Pontifice concessa fuerit, modo in ipso quidem cõcilio expressim sit illi canoni additum decretũ irritam decernens futurã dispensationẽ. Quo quidem casu dispensatio aduersus illum canonem data a Romano Pontifice nulla esset: sicuti ipse Gerson late probare conatur.

¶ Huic opiniõi accedit ratio, qua manifeste & catholice constat, concilium vniuersale in his, quæ ad fidem, & mores pertinẽt, errare nõ posse: quod tradidere Theologi passim: & ex Canonistis Panormi. & alij in cap. a nobis. in. ij. de sent. excommunicat. Sed si cõcilium vniuersale decernat, non esse licitam etiam Romani Pontificis dispẽsationem aduersus canonem quendã: & in hoc decreto concilium errare nõ potest: inde sequitur, dispensationem Romani Põtificis in eo casu illicitam esse, nec procedere posse.

¶ Sed aduersus hãc opinionem instat pluribus rationibus Card. a Turre Cremata. lib. iij. de ecclesia. cap. lij. tenens firmiter, non posse cõcilium vniuersale derogare futuris dispensationibus, quæ aduersus ius positiuũ, & humanum a Romano Põtifice ex suprema potestate cõceduntur. Primũ hęc opinio probatur in dict. cap. significasti. de electio. vbi statutũ est, & expresse scribitur, in omnibus constitutionibus conciliorum, etiam vniuersalium exceptam esse Romani Pontificis autoritatem. optimus tex. in cap. aliorum. ix. q. iij.

¶ Deinde leges & canones statuti in concilio vniuersali eam sequuntur cõditionem, quæ legibus inest humanis, vt pro temporum, & personarum rationibus mutentur, reuocentur, aut aliqua dispensatione tollãtur quoad particularem actum. Hæc autem nõ possunt Romano Pontifici negari: siquidem ipse potest leges, & canones conciliorũ reuocare, mutare, & aduersus eas dispensare: quod nemo doctus negabit: ergo & ipsummet decretũ, quo futuræ dispensationes tolluntur, reuocare mutare, aut dispensatione quadã tollere potest. Nec huic rationi congrue satisfieri poterit: si consideremus ea, quæ Canonistarum, & Theologorum consensu iam diu probata fuerunt.

¶ Tertio eadē opinio constat. Nā decretū futuris dispēsationibus derogās, easq; irritas decernēs, si humanæ constitutioni additū sit etiā a concilio vniuersali, poterit ab eodem concilio vniuersali tolli, & reuocari. Etenim cum tota ea lex humana sit, procul dubio mutationi, correctioni, & moderamini humani legislatoris submittit. Igitur palam apparet, hoc decretum ab eodem cōcilio reuocari posse: eadēq; ratione a Romano Pontifice, qui nō minorē potestatem habet, tolli, reuocari, & dispensatiōe quadam abrogari poterunt vniuersalis concilij canones habentes futurarū dispensationū derogationem.

¶ Ex quibus nos opinamur, sententiā Card. a Turre Cremata hac in cōtrouersia veriorē esse. Nō obstat ratio in fauorē prioris opinionis adducta: nā fatemur in his, quę ad mores pertinēt, cōciliū errare nō posse: nō tamen ex hoc sequitur, Papā nō posse dispēsare aduersus legē humanā ab vniuersali concilio latam, q̄ prohibuerit dispensationē. Hoc enim interest inter diuinā, & humanā legē: quod diuina lex cōtineat determinata ab ipso deo nō solum in cōmuni ratione iustitiæ, sed etiam quantum ad determinationem singularium actuum. Et ob id nō dispensatur cōtra legem diuinā ab alio quā ab ipso Deo: queādmodū colligitur ex Thoma. j. ij. q. c. art. viij. Caiet. in tractat. de auctorit. Papæ, & cōcilij. cap. xvi. col. ij. Humana vero lex statuitur ab homine, qui non potest propter fragilitatem iudicij, & infirmitatem intellectus omnibus singularibus actibus consulere: idcirco ponitur respiciendo ad id, quod est, vt in pluribus, bonum attenta communi ratione iustitiæ: sed quia contingit, huiusmodi legem in aliquo casu non esse bonam, oportuit per aliquem determinari in aliquo particulari casu legem non esse seruandam: quod idem Thomas explicat. ij. ij. q. lxxxviij. art. x. Sic sane cum canon statutus ab vniuersali concilio decernens irritas futuras eiusdem canonis dispensationes, humana sit constitutio, & non consulat futuris singularibus actibus, qui extra communem iustitiæ rationem possunt contingere, & in quibus necessaria sit, aut cōueniens, vel vtilis dispensatio iuxta temporis, & personarum peculiares conditiones: satis infertur eūdem canonem simul cum decreto derogante futuris dispensationibus subijci supremi principis dispositioni, qui secundum personarum, & temporum qualitatem poterit circa eundem canonem dispensare, non obstante eiusdem canonis decreto: quod quidem decretum ita est accipiēdum, quemadmodum & ipse canon accipitur, vt tandem subiectum sit summi principis arbitrio, & moderamini, æquitati, ac congruo Reipublicæ regimini, ex quibus mutari, corrigi, & tolli dispensatione, vel in vniuersum potest.

¶ Idem alia ratione verū esse deducitur: quia eadem vniuersalis synodus posset iterum cōgregata pro ratione temporis, & secūdum præsentem sta-

tum Reipublicæ, canonem simul & decretum ei appositum tollere: quod nec negari potest, nec ab vllo medio- criter erudito negabitur. Nam ab i- nitio ecclesiæ ad hæc vsq; tempora cõ cilia vniuersalia passim mutauerũt ea, quæ veteribus synodis etiam genera- libus constituta fuere. Quod si ita ve rum est, consequitur necessario, Ro- manum Põtificem idem agere posse: cum ipse non minorẽ habeat potesta- tem circa legum & canonum consti- tutionem, & promulgationẽ, quã ipsa synodus vniuersalis. Atq; ideo, si vere rẽ Cõcilij vniuersalis canonẽ haben- tem decretum prædictum Romanus Pontifex tollere potest, manifeste pa- tet, posse & in eo dispẽsare. Etenim is, qui iure Principatus legislator est, & potest leges veteres reuocare, mutare, & moderari: is etiam habet potestatẽ dispensandi super eisdem legibus, iux- ta ea, quæ notantur in cap. proposui- sti. de concess. præ. & in cap. at si cle- rici. §. de adulterijs. de iudic.

¶ Deinde, vt ratio prioris opinionis tollatur radicitus, oportet animaduer tere, quod etiam si concilium vniuer- sale decretum apponat humanæ con- stitutioni ad derogãdum futuris Ro- manorum Pontificum dispensationi- bus: idemq; decretum iustum esset, ac maxime vtile Reipublicę ita quidem, vt nulla recta ratione possit dispensa tio iustificari: cum nulla causa subsit dispensandi aduersus canonẽ vniuer- salis concilij: adhuc ex iudicio, & sen- tentia concilij tantũ probatur, dispen sationem illicitã esse, & Romanũ Põ tificem dispensantem peccare, remq; illicitam agere: non tamen sequitur, actum ex vi dispensationis sequutum nullum esse: etenim dispensatio, & si il licita sit, valet ac tenet, si dispensator ha beat potestatem tollendi legem super qua dispensat: quod notãt Innocent. in cap. cũ ad monasteriũ. De statu re- gular. Card. Caieta. xij. q. xcvi. art. v. sentiunt Abb. in cap. non est. de uo to. & in cap. de multa. de præb. num. xx. idem in cap. quæ in ecclesiarum. de cõstit. num. xvij. & ibi Deti. num. xxix. Princeps sane supremus, q̃uis male faciat tollendo legẽ Reipublicæ vtilem, & grauiter peccet, cum nulla subest causa quę eius derogationẽ sua deat, supra legem ipsam est, & ob id e- iusdem legis vim, ac potestatem suspẽ dere, tollere, & mutare potest.

His deniq; visis deducitur, cõcilium vniuersale, dum alicui canoni, & con- stitutioni decretum hoc derogans Pa pæ dispensationibus addidit in rebus ad mores pertinentibus, non errasse: quia inspecto præsenti rerum, & rei- publicæ statu, absq; vllo errore iudi- cauit non oportere, quod Papa dispẽ- set. Id vero iudicium ex varijs causis mutari potuit, & potest, quemadmo- dum & lex ad mores pertinens absq; vllo errore statuentis, & legislatoris mutationem admittit.

¶ Præterea, licet adhuc maneat rectũ synodi iudicium, nec vllam rationem mutationis admittat, ab eo nihil aliud deducitur, quã quod illicita sit dispen- satio: non tamen quod ea non teneat, nec quod Papa dispẽsare non possit.

¶ Sed Cardinales reuerēdissimos Apostolicæ sedis legatos, ceterosq; christianę reipublicæ Præsules, qui vel in hac synodo Tridētina, quæ iussu san ctissimi Dñi nostri Iulij tertij, Caroliq; Cæsaris, Hispaniarum Regis solicitudine in vnum est congregata, vel in alio quocunq; cōcilio de moribus sacerdotum, & Christianorum negotijs tractaturi sunt, pientissime admonemus, omniq; obseruatione exhortamur, ne hisce decretis, aut derogationibus vtantur: nisi sese aliquod obtulerit negotium, in quo vtilius multo sit, Romanum Pōtificem abstinere a dispensatione omnino, & in vniuersum, quā eam ex quacunq; causa concedere. Sunt etenim aliquot in ecclesia Catholica constitutiones, quorum perpetua, & inuiolata obseruatio maiorē vtilatē affert reipublicæ Christianæ, quam quod dispensationes etiā ex causa iusta concedantur. Quam ob rem in hisce constitutionibus conciliū posset derogare dispensationibus Romanorum Pontificum ad hunc sane effectum, vt ea derogatio futuram Romani Pontificis dispensationem, vtcunq; ea contingat, illicitam, & iniquam esse probet: non tamē vt nulla iudicetur. Atq; ita caute, ac matura deliberatione possunt addi derogationes futurarum dispensationum Canonibus cōcilij vniuersalis: ex quibus derogationibus constabit, dispēsationem etiam Romani Pontificis illicitam, & iniquam esse: non tamen ex hoc futuræ dispensationes censeri debent nullæ. Nam & in aliquot iuris constitutionibus hactenus ab ipso legislatore appositæ sunt futurarum dispēsationū, & priuilegiorum derogationes, vt in Auth. quibus mod. natural. effici. sui. §. vlt. notatur in. l. nec damnosa. & in l. rescripta. C. de precib. Imperato. offerend.

¶ Imo & præter suprascriptum effectum, quem habet decretum derogās futuris dispensationibus, alter constat effectus: quia non sufficiet in dispensationibus, clausula illa generalis nō obstantibus quibuscunq; iuribus cōtrarium disponentibus: sed necessaria est specialis mentio canonis a concilio statuti: aut saltem generica mentio synodicæ, & conciliaris constitutionis: secundum Archid. in cap. j. de constit. in. vi. quem post alios sequitur Feli. in cap. nonnulli. col. iiij. de rescript. cuius opinio ex eo etiam fundamentum habet, quod quæcūq; constitutio, etiā si in concilio generali statuta non sit, si habet derogationem futuræ dispensationis, & priuilegij: aliter sublata per Principem non censetur, quam si eius mentio specialis fiat, vbi ex dispēsatione graue imminet præiudicium alteri: sicuti notat Alex. in cōs. clxxxvij. lib. v. Igitur vbi in concilio generali canon aliquis fuerit statutus, cui addita sit derogatio dispēsationis a Romano Pontifice concedendæ, duo inde effectus procedunt. Prior quod iniusta iudicabitur, atq; iniqua Romani Pontificis dispensatio concessa aduersus totius vniuersalis concilij decretum, iudiciūq; expresse definiens non conuenire regimini reipublicæ Chri-

stianæ, quod canon prædictus aliqua dispensatione tollatur. Posterior autem effectus erit, quod non sufficiet quãtum ad vires dispensationis quæcunque etiam generalis canonum derogatio.

¶ Quid autem dicendum erit, si concilium vniuersale proprio decreto declarauerit, Romanum Pontificem in aliquo canone non posse dispensare: an hoc erit sufficiens remedium, vt tollantur futuræ dispensationes? Et quidem cum concilium vniuersale in his etiam quæ ad mores pertinent, errare non possit, ita respõdendũ erit: quod vel is canon continet ius diuinum, vel humanũ. Primo casu certissimi iuris erit, non posse Romanum Põtificem dispensare, & dispensatio nulla omnino esse. Quia iura diuina nõ possunt ab alio quã a deo per dispensationem tolli. Secundo autem casu id est considerandum, quod concilij vniuersalis declaratio interpretãda est in hunc sanemodũ, vt intelligamus Papam nõ posse, id est, non fore iustam, nec licitã dispensationem: aut eam non conuenire congruo Reipublicæ regimini. Hæc etenim verba (nõ possumus) sæpissime ad honestam, & licitam potẽtiam referuntur attenta subiecta materia, nec excludunt simplicem, & validam actus potestatem ex his, quæ tradunẽ per Abb. in cap. j. de cauf. poss. iiij. notab. eundem in cap. j. de fide instrum. ij. notab. Bart. et Doctor. maxime Iason in. l. Gallus. in principio. num. xvi. & sequentibus. ff. de lib. & post. notat idem Iason. in. l. stipulatio ista. §. alteri. col. vi. ff. de. verb. obligat.

¶ Hac tamen in q̃stione illud postremo adnotabimus, apud iuris vtriusque interpretes frequentissime disputari, possit ne Romanus Pontifex dispensare aduersus aliquot canonum statuta, vel ex eo, quod a iure diuino, aut naturali originẽ habuerint, vel quia huiusmodi dispensationes maximam afferant perniciem Christianæ religioni: in his sane dubitationibus concilium vniuersale poterit declarare ea, quę sint iuris diuini, vel naturalis: qua declaratione præmissa: cũ in hoc vniuersalis synodus errare non possit, satis manifestum erit, Papam dispensare non posse, nec eius dispensationem vim aliquam habere, etiam in iudicio exteriori. Etenim sanct. Thomas in tract. contra impugnantes religionẽ scribit, Romanum Pontificem non posse dispensare aduersus cõcilij vniuersalis decreta, quatenus ea ius continent diuinum tex. optimus ita intelligendus secundum glo. ibi in cap. contra. xxv. q. j. vbi Zozimus Papa scribit, Romanos pontifices nõ posse cõtra patrũ statuta aliquid sancire: hoc enim intelligẽdum est ea ex parte, qua patrum statuta continent ius naturale, vel diuinũ, quæ iura Romani Pontificis dispensationem non admittũt: nec vlla poterit contingere causa, quę apud homines iuris naturalis, vel diuini suadeat dispensationẽ: secundum Thomam. j. ij. q. xcvij. art. iij. eundẽ quodlib. iiij. art. xiij. & quodlib. ix. art. xv. Card. de Turre Cremata

in tract. de ecclesia.li.ij.ca.cvij. Atq; hæc diximus ad probādam supremā Romani Pontificis autoritatem,quæ iuribus humanis derogare potest,quā uis lege,aut canone ab vniuersali concilio latis stabilita fuerint.

¶ Modo superest examinare, an concilij vniuersalis conuocatio ad alium, quā ad Romanum Pontificem possit
4 pertinere quandoq; in casibus particularibus? Et quod Cardinales Romanæ ecclesiæ possint concilium vniuersale conuocare nolente ipso Papa, & negligente in vtili & necessaria concilij congregatione, probatur: quia Prælato negligente agere, & negotia ecclesiæ expedire,potestas deuoluitur ad capitulum ecclesiæ Cathedralis. Innocent. & Abb. in cap. dilecti. de maiorit. & obedient. col. iij. post Hosti. & alios. idem Abb. in cap. cum olim. col. iiij. de testi. Lapus allegat. lj. quorum opinio cōmunis est in dict. cap. cum olim. quæ probatur ex traditis per glo. in cap. vt circa. in princ. verb. aliqui. de electio. in. vi. & in ca. si quis presbyterorū. de reb. ecclesiæ. cap. non liceat. xij. q. ij. ca. cōstitutū. xvi. q. j. qua ratione, & alijs, quæ adducuntur communiter, posse Cardinales vniuersale concilium conuocare, tenuerūt. Abb. in cap. licet. col. iij. de electione. Card. in cons. cl. dubio. iij. Florent. iij. part. tit. xxiij. ca. ij. §. vij. Deti. cons. cli. num. xiij. Bald. in cap. olim. col. penult. de rescript. Card. a Turre Cremata. lib. iij. de ecclesia. ca. viij. Antoni. de Rosellis in tract. de cōcilijs. folio. xlix. col. iij. Ex quibus colligitur hæc ipsa opinio, qua receptum est, posse in aliquot casibus, Cardinales Romanæ ecclesiæ concilium congregare: tametsi regulariter pertineat hoc munus ad Romanū Pōtificem. Qui vero sint hi casus dubitatē a plærisq;. Nam in vniuersum dici poterit, tunc Cardinales hanc potestatem habere, cū ecclesiæ immineat ob aliquā causam necessitas cōgregandi vniuersale concilium, & Papa monitus nolit, atq; neglexerit synodum vniuersalem totius ecclesiæ conuocare: in hanc sane sententiā conueniunt omnes Doctores: & adhuc Caiet. qui acerrime partes Romanorum Pontificum hac in re tuetur in tract. de aut. Papæ & concilij cap. xvi. vnde sit a regula generali hæc etiam generalis exceptio constituta.

¶ Primus autem casus contingere potest, si Romanus Pōtifex (quod Deus auertat) in hæresim aliquam inciderit, nec admonitus pœnitere velit, nec cōcilium conuocare: etenim tunc Cardinales, imo eis etiam negligentibus, reliqui ecclesiæ Prælati concilium poterunt congregare vicissim vocatione Episcoporū ecclesiæ vniuersalis præmissa: etenim quicquid sit de alijs criminibus, an Papa eorum causa possit a concilio iudicari, & deponi: crimen vero hæresis ipsum Romanum Pontificem efficit iure ipso diuino Pontificatus dignitate priuatum: quod multis probari poterit, p̄sertim in ca. Nouatianus. vi. q. j. ca. didicimus. xxiiij. q. j. ca. audiuimus. §. sin autem. ca. q. ad finem, Thomas. ij. ij. q. xxxix. art.

iiij. scribit hæreticorũ nullam iurisdi-ctionẽ spiritualem habere, nec exerce-re posse. cap. verbum Dei. de pœnit. Dist. j. Nam ad esse simpliciter Papã necessaria est fides Catholica nullis hę resibus contaminata, cũ Christus Ie-sus Petro commiserit ecclesiam in re munerationem, et mercedem, eo quod Petrus confessus fuerit, Iesum filium esse Dei viui. Quasi hæc cõfessio fue rit fundamẽtum futurum credentiũ: nempe fides, quæ est fundamentũ Ec. clesiasticæ structurę. Interrogauit eq. dẽ Christus omnes Apostolos, quid de illo sentirẽt: cui interrogationi Pe-trus solus respondens dixit: Tu es Christus fili⁹ Dei viui. Qua fidei cõ fessione facta, statim Christus dixit il li: Beatus es Simon Bariona: quia ca-ro, & sanguis non reuelauit tibi: sed pater meus, qui in cælis est: & ego di-co tibi: quia tu es Petrus, & super hãc Petram ædificabo ecclesiam meã: & portæ inferi non præualebunt aduer sus eam: & tibi dabo claues regni cæ-lorum. His sane verbis diligenter, & pie pensitatis apparet, Christũ Iesum exigere fidei Catholicæ fundamentũ ad dignitatem summi Pontificatus. Hic ergo casus (cum Papa hæreticus est) necessario exigit, quod concilium vniuersale a Cardinalibus, vel ab aliis ecclesiæ Prælatis conuocetur: quod Card. a Turre Cremat. & cęteri pau lo ante citati concedunt.

¶ Secundus casus, in quo conciliũ vni uersale potest conuocari a Cardinali-bus, & ab aliis ecclesiæ Prælatis ipsis Cardinalibus negligentibus, tunc con tingit, cum duo, vel tres electi Roma-ni Pontifices contẽdũt de summo Põ tificatu, resq; ista in maxima cõstituta est controuersia: etenim tunc Cardina les, vel alij Prælati ecclesiæ Catholi-cæ, vniuersale concilium cõuocabũt, vt huic quęstioni finem imponat sy-nodus generalis: sicuti fecit Constan-tiense concilium, cum ecclesia varia, et discordi Pontificum electione preme retur. Hunc deniq; casum specialem esse fatẽtur Theologi, & Canonistæ, quo possit concilium vniuersale con-gregari absq; autoritate Papæ ab ip-sis Cardinalibus, vel ecclesiæ Catho-licæ Prælatis: quibus consulendum est, quod si alter ex contendentibus su per hac dignitate possessionẽ eius ha-beat, hunc requirant pro concilij con uocatione: qui, si requisitus, id conuo-care voluerit, eius autoritate debet fie-ri congregatio. ca. cõcilia. §. hinc etiã. xvij. dist. idemq; dicẽdum est in præ cedẽti casu, quoties Papa suspectus est de hæresi, non autem notorius hæreti cus est: nam ipse primum admonen-dus erit, vt concilium conuocet: eoq; negligente poterit cõcilium absq; eius autoritate congregari secũdũ Card. in ca. licet. de electio. q. xxxv. & Car din. a Turre Cremata lib. iij. de eccle-sia. cap. viij.

¶ Tertius casus constituitur etiam si Papa hæreticus non sit: nec de Ponti ficatu cotendant plures, tamen immi-net grauis necessitas ad extinguendas hæreses ecclesiam infestantes, quod cõ ciliũ vniuersale celebretur: etenim in hoc casu Papa admonitus, ac nolens

id conuocare, maxime suspectus hære sis videtur: & ob id concilium absq; eius autoritate conuocari poterit: sicuti ex pmissis deducitur, ac pbatur ratione. Alioqui etenim si imminente graui necessitate congregandi cōcilij vniuersale, Romanoq; Pontifice negligente, imo nolēte id conuocare: nō posset nec a Cardinalibus, nec ab alijs ecclesiæ Prælatis cōcilium celebrari: profecto ecclesia ipsa Catholica maximam absq; vllo remedio pateretur calamitatem: quod tolerandum nō est? Sic in specie hunc casum ponit Card. de Turre Cremata in dict. cap. viij. vers. ad tertiam rationem.

¶ Quarto quoties sedes Apostolica vacat, nec Cardinales Romanæ ecclesiæ couenīūt in electione Romani Pōtificis, nec sufficiūt remedia a iure Pōtificio statuta in cap. fundamenta. & cap. vbi periculū. de elect. in. vi. Tūc sane conciliū vniuersale conuocari poterit ab eisdem Cardinalibus, vel ab alijs ecclesiæ prælatis, vel a principibus secularibus, vt huic discrimini subueniatur, & potissime tractetur de futuri Pontificis electione. Hic deniq; casus etiam traditur a Card. in dict. ca. viij. vers. ad septimum. Et colligitur ex cōclusione generali, quam superius deduximus, & confirmauimus plurium Doctorum autoritate: quam etiā tradidere Prępositus in cap. synodū. xvij. dist. col. ij. & Card. in cap. licet. de elect. & ibi doctor.

¶ In summa quoties dubiū sit, an absq; autoritate Romani Pōtificis possit cōciliū vniuersale cōgregari, duo sunt consideranda: Primū quod necessitas adsit cōgregādi cōciliū vniuersale ad aliquod tractandū negotiū, cuius maxime reipublicæ Christianæ intersit: sitq; vel necessaria, vel admodū vtilis cōcilij vniuersalis autoritas ad eius expeditionem: & Romanus Pontifex admonitus nolit, aut non possit concilium congregare: quod secundo loco est inspiciendum. Nam secundum communem sententiam poterunt tūc Cardinales, vel ecclesiæ Prælati concilium conuocare. In hoc vero concilio primum est tractādum negotiū illud, cuius causa synodi generalis cōgregatio fit. Tādē ea causa tractata in vniuersali cōcilio, & per id diuina autoritate decisa, ac definita: an possint alia negotia tractari, ex ipso rerum statu erit examinandū: tametsi strictē nimis de hoc scripserit Card. Caieta. in 1
tract. de potest. Papæ & concilij. ca. xvi. & sequētibus: strictius multo Albert. Pighius. lib. vi. de eccles. Hierarchia. cap. xiiij. & xv.

¶ Cap. tertij summa.

An Imperator habeat ius conuocandi Concilium vniuersale? 1

Imperatoris. & Principis Christianißimi officium est solicite agere, ac curare, quod imminente necеßitate concilia generalia congregentur. 2

An poßit Imperator compellere Episcopos, ad synodum accedere, quoties ius habet eam conuocandi? 3

Imperator, & Principes seculares, an sint vocandi ad concilium: vel poßint eidem, si voluerint, interesse. 4

¶ An Imperator ius habeat con uocandi concilium.

¶ CAPVT TERTIVM.

SOLET principaliter quæri de poteſtate Imperatoris circa concilij vniuerſalis congregationem. Videt etenim multis quidem exemplis, & autoritatibus, quod Imperator ius habeat conuocãdi, & indicendi cõcilium eccleſiæ vniuerſalis.

¶ Primum etenim Conſtantinus ille magnus vidẽs eccleſiam Arriana hæreſi infeſtari, & concuti, conciliũ Epiſcoporum apud vrbem Nicæam Bi
1 thyniæ prouinciæ cõuocauit: nec ad hanc ſynodum conuocandam autoritas præceſſit Romani Pontificis: ſed tantum ipſius Imperatoris, qui eidem concilio præſidens primum locũ obtinebat: quod ex actis eiuſdem Nicæni concilij ſatis apparet: atq; ex autoribus hiſtoricis, quorum cap. primo huius operis meminimus: ſed præſer
2 tim huius rei teſtimoniũ exhibent Sozomenes in hiſtoria eccleſ. cap. xvij. lib. prim. qui ſcribit ipſum Cæſarem concilium hoc cõuocaſſe: in eoq; Romani Põtificis locum habuiſſe eius legatos Vitum, & Vincentium. Idem Caſſiodorus lib. j. tripartitæ. ca. vlt. & lib. ij. cap. j. & cap. xiij. Alij hunc Apoſtolicæ ſedis legatum Victorem appellant. Quidam etiam teſtantur Oſium Cordubẽſem Epiſcopum, qui huic interfuit concilio, ſimul cum Victore, & Vincẽtio legatũ fuiſſe Apoſtolicæ ſedis.

¶ Theodoſius ſenior Imperator ſub Damaſo Papa ſecundam ſynodũ generalem apud Conſtantinopolim habuit, & conuocauit: ſicuti conſtat ex lib. ix. tripartitæ. cap. xij. & ſequentibus.

¶ Rurſus Theodoſius iunior tertiũ generale cõciliũ celebrauit apud Epheſum conuocans omnes Epiſcopos: ita enim inquit Caſſiodorus lib. xij. Hiſtoriæ tripartitæ. cap. v. Non multo poſt tempore iuſſio principalis Epiſcopos vndiq; Epheſum venire præcepit. Huic tamen ſynodo, quod primo capite ſcripſimus, præſens fuit Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus Romani Põtificis Cæleſtini legatus, eius ſpecialem autoritatem habens: quemadmodũ Nicephorus in hiſtoria Eccleſiaſtica, & Proſper Rhegienſis Epiſcopus teſtãtur, licet alij ſcripſerint in eo concilio vices Romani Pontificis habuiſſe Archadium ab Italia deſtinatum, & Cyrillum Alexandrinũ Epiſcopum.

¶ Quarta generalis ſynodus apud Chalcedonem cõgregata eſt ex decreto Imperatoris Martiani: quemadmodum in prima eius actiõe apparet: tametſi Leonis Papę primi locum eius legati tenuerint Paſchaſinus, & Lucẽtius Epiſcopi, & Bonifaci⁹ presbyter.

¶ Quinta deinde ſynodus generalis celebrata eſt iuſſu Iuſtiniani Imperatoris apud Cõſtantinopolim ſicut in eius prima actione manifeſte cõſtat: cui

cui tamen synodo etiam autoritatem præstitit Romanus Pontifex, qui sedis Apostolicæ legatum in ea constituit Mennam Archiepiscopum Cōstantinopolitanum.

¶Sexta item synodus, quæ Constantinopoli celebrata fuit sub Constantino Imperatore, eius mādato, & iussu congregata fuit in Trullo, qui locus est in ipsius Cęsaris palatio. Idq; probatur ex plurib' locis ipsius synodi.

¶Septima demū synodus apud Nicæam vrbem conuenit imperantibus Cōstantino & eius matre Irene per ipsorum Imperatorum Decretū: qđ in prima eiusdem synodi actione palam est præsidētibus Apostolicæ sedis legatis aduersus eos, qui a templis imagines tollēdas fore, falso errore seducti, opinabantur.

¶Octaua synodus generalis cura, & solicitudine Basilij Imperatoris apud Cōstantinopolim celebrata fuit sub Hadriano Papa huius nominis secūdo: idq; idē summus Pontifex asserit in Epistola ad Basilium Augustum: cuius quidem Epistolæ mentio fit in prima prædictæ synodi actione.

¶Theodoricus Rex, qui tunc Italiā obtinebat, enixe, totisq; viribus curauit, vt concilium, non quidem vniuersale ecclesiæ totius, Romæ ab Hormisda Papa haberetur, quod congregatū fuit: in eoq; Euthychianorum hæresis damnata fuit: quemadmodū testis est Platina in lib. de vitis Pontificū, dum Hormisdæ vitam scribit. Paulo ante iussu eiusdem Theodorici congregata est synodus Romæ ad hoc, vt Symmachus Papa a sibi obiectis criminibus se ipsum purgaret: vt cōstat ex Ennodij libro, quo hæc synodus defenditur, & cap. concilia. §. hinc etiā. xvij. dist. Idē Theodoricus synodum apud Rauenam vrbem iussit congregari ad tractādum de schismate eo tempore orto post electionē Symmachi, aduersus quem a quibusdam seditiosis electus fuit Laurētius: & discussa quæstiōe præsente Theodorico Symmachus in potificatu cōfirmatur. Quod idem Platina tradit in vita Symmachi. Hic Theodoric' fuit Gothorū Rex, pater Amalasiūthæ. Carolus Magn' Gallorū Rex, et Imperator ꝓprio Decreto cōciliū apud Magūtiā cōgregauit Anno salutis Octingentesimo decimo tertio, quinto Idus Iunij: in cui' cōcilij præfatione Episcopi inibi cōuenietes ꝓfitētur se ad eū locū venisse iussu Caroli Magni. Idē scripsit Guaguin' in Historia Regū Frāciæ eo capite, quo gesta Caroli enarrat, adijciens ipsum Carolū quinq; cōcilia ꝓpria autoritate celebrasse: Primū Magūtię, Secūdū Remis, Tertiū Turonis, Quartū Cabilone, Quintū Arelate. Cōcilio autē Magūtiaco pręsens fuit Hildebaldus Apostolicæ sedis nuntius.

¶Henricus quartus Imperator aduersus Papā Gregoriū septimū cōciliū apud Vuormatiā cōgregauit, in quo Romanum ipsum Pontificem deposuit, & dignitate Pontificali priuatum esse censuit: ac deinde alio habito conuentu Gibertum Rauennatensem Archiepiscopum Summum

Pōtificem creauit, cumq; Clemētem appellat, publiceq; Romæ in Lateranensi Basilica corona Pontificia donauit: cuius quidē rei Platina in vita Gregorij septimi testimoniū exhibet.

¶Sub Alexandro deinde tertio Romano Pōtifice Fredericus prim⁹ Imperator absq; vlla Romani Pōtificis autoritate concilium indixit, locūq; huic synodo celebrādæ delegit Diuionem, qui locus situs est vbi Sauo Fluuius Gallos a Germanis diuidit. In eo concilio agendum erat de schismate in ecclesia Dei tunc contingente ob electionem Octauiani Cardinalis, qui victor Papa fuit appellatus: ad hoc vero cōciliū Alexander accedere recusauit ex eo, quod ipse id non indixisset. Hæc Platina in vita Alexandri tertij.

¶Sunt & cōcilia Constantiense quidem, & Basiliense, quæ & si ab initio autoritate Romani Pōtificis fuerint conuocata, ab eo tamen translata, & quandoq; dissoluta fuere: tandem nihilominus Decreto, & autoritate Imperatoris minime cessarunt, sicuti ex eorundē cōciliorū actiōibus cōstat.

¶Plures præterea synodi prouinciales autoritate, & iussu principum sæcularium conuocatæ fuere, prefertim in Hispania. Etenim Hispaniarum Reges ante cladem illam, quam Saraceni, & Arabes a Comite Iuliano, & eius partis quibusdam alijs proditoribus ex Aphrica in Bæticam prouinciam transmissi intulere, maximo Christianæ fidei zelo accensi frequentissime Episcopos, & prælatos solicite inducebant, vt concilia ad veram religionis professionem, & ad mores reformandos celebrarent. Quibus denique & alijs exemplis Imperator ius conuocandi concilium habere videtur: nam & præter autores modo citatos hæc exempla etiam probantur in cap. j. cap. sancta Romana ecclesia xv. dist. cap. habet librum. cap. sexta. xvj. dist. cap. futuram. xij. q. j. ca. cōtinua. xj. q. j. capit. Hadrianus. cap. Valentinianus. lxiij. dist. l. nos reddētes. C. de summa Trini. §. huic etiā. xvij. distinct.

¶Verum hæc omnia, nisi cōgrue intelligantur, procedere non possunt. Quia vere iure diuino, & humano conciliorum generalium conuocatio ad Romanum Pontificem primo, nō ad imperatorem expectat: quod probatur ex his, quæ in capite præcedēti adducta fuere: & præterea ex. ca. nos ad fidem. xcvj. dist. vbi inquit Martianus Imperator. Nos ad fidem confirmandā, non ad potentiā ostendendam exēplo religiosissimi Principis Cōstātini synodo interesse volum⁹. tex. optimus in cap. vbi nam legistis. ea. dist. quāobrem ad ea, quę modo diximus, respondendum erit.

¶Primum etenim constat, & ita verum est, olim cū plerūq; Cæsarū, & præfectorū tyrānide Christiani mala multa, & martyria paterentur, nec auderent ecclesiæ Principes, & prælatos in vnū cōuocare: pietate Cōstātini Magni, & aliorum Imperatorū facultate liberū ius cōgregādi cōciliū vniuersale habuerunt. Et præterea

necessaria erat Imperatoris autoritas, non equidem ad indicendam synodum vniuersalem, sed vt prælati, & Episcopi totius orbis libentius ad synodum vocati accederent. Etenim in initio ecclesię renascentis Romani Pontifices & si maximam semper, & eandem habuerint a Christo autoritatem, non ita liberam habebant eius executionem, vt facilime eorum mãdatis obtemperaretur, cum eis sæpissime Asię, atq; Orientis Episcopi aduersarentur. Idcirco absq; iussionibus, & Decretis Imperatorum, quibus Prælati tunc maxime obtemperabant, vniuersalia concilia minime potuissent congregari. Vnde obtentum est, quod Cæsarũ autoritate, iussione, & Decreto synodi vniuersales conuocarentur: quæ tamen semper præcipuam autoritatem ad sequutæ sunt vel ex legatis a Romanis Pontificibus ad eas destinatis, vel ex speciali Romanorum Pontificum approbatione. Legat igitur, qui hoc nosse cupit, veterum vniuersaliũ synodorũ actiones: & inquirat earum autoritatẽ: ac plane percipiet legatos Apostolicæ sedis eisdem præsedisse, autoritateq; summi Pontificis ad præsidẽdum habuisse: atq; præter hæc ipsorum conciliorũ definitiones ad Papã transmissas, vt ab eo probarẽtur.

¶ Secundo est in hac quæstione animaduertendum, quod si immineat ecclesiæ Catholicæ necessitas conuocandi conciliũ, & ipse Romanus Põtifex neglexerit id indicere, & congregare, eademq; negligẽtia Cardinales vtãtur: tunc ad Imperatorẽ pertinet congregatio cõcilij. tex. est adhoc notabilis in cap. vlt. lxv. dist. notant expresse Card. in cap. licet. q. iiij. de electio. Card. a Turre Cremata lib. iij. de ecclesia cap. viij. Felin. in ca. j. col. ij. de maiori. & obedien. Idẽ Feli. in ca. querelã. col. vlti. de iureiur. Præposit. in cap. synodũ. xvij. dist. atq; ex hoc erit intelligendũ, quod in cap. concilia. §. huic etiã. eadẽ dist. legitur. Nam cũ Theodericus Rex conciliũ indixisset Romano Põtifice Symacho irrequisito: Episcopi Liguriæ, et Aemiliæ respõderunt, nõ licere synodũ congregari absq; Pontificis summi autoritate: & tandẽ statim Symachus ipse synodũ indixit, ad eãq; Episcopi cõuenere. Ex quibus satis colligitur, ius cõuocandi cõcilia vniuersalia primũ ad Romanũ Põtificẽ pertinere: deinde eo admonito, & negligẽte id munus propriũ esse Romanæ ecclesiæ Cardinaliũ: quib⁹ quidẽ nolentibus conciliũ vniuersale cõgregare, Imperator ius habet cõcilium hoc indicẽdi, & cõuocãdi, cũ ipse sit ecclesiæ Catholicę protector, et defensor.

¶ Tertio loco apparet, Imperatoris, & cuiuslibet Christiani Principis officiũ esse, quoties ecclia Catholica hæresum, aliarumue cõtentionũ periculis, & cõflictu agitetur, ipsum Romanũ Pontificẽ, Romanæ ecclesiæ Cardinales, aliosq; prælatos solicite admonere, vt pro sedandis, & componendis rebus vniuersale consilium in vnum conuocẽt, & indicant. Multa etenim negotia sunt, quę etsi possint

iudicio summi præsulis ab Apostolica sede diffiniri diuina quidem autoritate, non tamen ita quiete, & concordi animo recipiũtur, ac si ab omnibus ecclesiæ Episcopis in vniuersali concilio definitionem acceperint. Præsertim in rebus ad fidem pertinentibus, quarum decisio etiam a Romano Põtifice fieri potest, & tamen hac in specie Decreta, quæ a pleno, & integro concilio vniuersali processerunt, quibusq; ipse Papa, & omnes in cõcilio congregati subscripserunt, maioris autoritatis, & roboris sunt, quam illa, quæ a solo Romano Pontifice definita fuerint. Nam licet Romanus Pontifex, vt Papa, & quatenus personam induit Vicarij Christi, errare nõ possit in pertinentibus ad fidem iuxta eã sententiam, quæ nobis certior semper visa fuit: quibusdam tamẽ, & plerisq; placuit, non ita eam opinionem certã esse: imo ab his asseueratur, Papam errare posse, & quãdoq; errasse in his, quę ad fidem attinent: saltẽ alij nõ ad modum Propitij Summorum Pontificum autoritati causabuntur, non eam diligentiam in examine quæstionis adhibitam fuisse a Romano Pontifice, quam is adhibere vt Papa tenebatur: atq; ideo in eius quęstionis definitione non fuisse vsum Summi Pastoris officio: qua quidem ratione opinabuntur, non esse certam eius decisionem. Hæc vero calumnia omnino abest ab his Canonibus, & Decretis, quæ a cõcilio vniuersali statuta, & definita fuerint. Hinc sane, & alijs causis discussis hactenus ab initio legis Euãgelicæ iudicatum fuit, vniuersaliũ Synodorũ congregationes maximi semper fuisse momenti, & vtilitatis ad dirimendas, & tollendas lites, ac controuersias, quæ de fide solent in Christiana religione contingere. Quod si tantaesset solius Romani Pontificis autoritas, quanta totius ecclesiæ vniuersalis, frustra tanta solicitudo, tantusq; labor in congregandis Synodis vniuersalibus a Sanctis Pontificibus & Catholicis Imperatorib⁹ sumeretur. Vnde manifestum est, aliqua ex parte maiorem esse autoritatem conciliorũ vniuersalium, quam Romani Pontificis: etiam si quicquid concilium definire potest, ipse Romanus Pontifex possit summi, & recti Pontificis officio functus præmissa prudentum virorum consultatione decidere, & decernere. Cum itaq; res ipsa iam multis ante annis docuerit, maximoq; fuerit experimento, quantũ vtilitatis afferat totius ecclesiæ concilium conuocari pro sedandis hæreticorũ tumultibus: Imperatores Christianissimi, & alij principes enixe laborarunt, vt Romani Pontifices quoties furor iste serpentium hæresum Catholicam ecclesiam inuaserit, synodum vniuersalem, & œcumenicam indixerint.

¶ Horũ Principũ pietatẽ, & erga fidẽ Christi zelũ feruentissimũ imitatus Carolus Cæsar huius noĩs quintus, Hispaniarumq; Rex eiusdẽ noĩs primus, quam primũ nact⁹ est Regis & Cęsaris dignitatẽ, vt veri principis officiũ ageret, ꝓ tutela fidei, & religionis Christianę, omni cura, & solicitu

dine nihil intactum reliquit, quod po tuerit excogitare ad medelã Lutheranæ factionis, q̃ in ipsa primũ Germania virulentum dogma emittens in alias Christiani orbis prouincias pergere tentabat. Huic etenim pestilentissimæ serpenti, q̃ plurimos ipsius Germaniæ principes iam deceperat, obuiã ire cupiens Cæsar Christianissimus primum lenibus quibusdam, & modestis exhortationibus, deinde pluribus habitis apud Germaniam Comitijs, ac Principum, & doctissimorũ virorum cõuentibus, rem ipsam ad priuatam & publicam disceptationẽ deducẽs, multis perpessis laboribus, ab Hispania (relictis vxore charissima & liberis) in Germaniam, vt hoc negotiũ expediret, alacri animo proficiscens omnia tentat, & exequitur, quæ possent a tot erroribus gentem illam auertere, adq; tanti criminis pœnitentiam inducere. Deniq; comperiens pientissimus Princeps ita incendiũ, quod hæreticorũ Patriarcha Lutherus immiserat, omnia inuasisse, animosq; sectatorũ tot errorib[9] addictos penetrasse, vt obstinatæ impudẽtiæ nullũ aliud remedium superesset, quam vel bello, & armis ad illorum punitionẽ procedere, qui miseram plebẽ principali autoritate decipiebant, legisq; veræ Euãgelicę p̃dicationẽ ad extirpandos Lutheri errores necessariam, totis virib[9] impediebant: vel indicto totius ecclesię vniuersalis cõcilio Romani Põtificis, & Episcoporũ ecclesię Catholicę autoritate falsissimã illam doctrinam ex diuinis testimonijs euertere, atq; a Christiana religione exterminare: hoc inquã Cæsar excogitãs, nã & ipsi Hæresiarchæ hoc ipsum (ficte tamẽ) expostulare videbantur, ab ipso Romano Põtifice Clemẽte septimo sæpissime petierat, vt ad tantũ malum euertendũ synodũ vniuersalẽ indiceret: quã Clemens Põtifex multis alijs negotijs impeditus minime indixit. Quo quidẽ Põtifice mortuo a Paulo tertio, qui in eius locũ statim electus est, idẽ frequẽter, atq; adeo enixe postulauit, vt ipse Põtifex summus conciliũ vniuersale indixerit Anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto: locũq; ad eam synodũ celebrandam Tridentũ assignauit vrbem, quæ in confinibus Italiæ & Germaniæ sita est.

¶ Hoc vero conciliũ Tridentinũ inchoatũ est decima tertia die Decẽbris eiusdẽ anni: eidẽq; synodo ipse p̃sens fui vocatus a sãctissimo Papa Paulo, & speciali inuictissimi Cæsaris iussione. Etenim postea quã e Salmanticensi collegio sanctissimi Saluatoris eiusdem Cæsaris libello vocatus fuissem ad hoc Granatense prætorium, vt in eo iudicis partes agerẽ: ab eoq; rursus ad curiã supremã destinatus primum quidẽ cũ iudicibus, & collegis senatoribus militiarum diui Iacobi, Calatrauæ & Alcãtaræ negotia tractaturus, ac deinde ipsius Cæsaris, Hispaniarũ Regis summo prætorio addictus, aliquotq; annis regi, & Reipublicæ nostrã operã ea, qua potuimus diligẽtia, præstiterim: tandem in Asturicensis ecclesiæ Episcopum electus Pontificis, & Cæsaris iussibus Tridentum

accessi: quo in loco quinqꝫ fere annis commoratus maxima cũ admiratiõe percepi, quãta cura, & solicitudo Cæsarẽ ipsum haberet rebus fidei Catholicæ componendis intentum: quãqꝫ grauiter tulerit princeps Christianissimus multa, quæ eiusdem concilij cõtinuatiõi quotidie, vt intermitteretur, obijciebantur.

¶Hæc est vera Christianorum principum pietas, & religionis, fideiqꝫ Catholicæ zelus, quem si omnes Reges, & Pontifices eodẽ animo habuissent, minime foret tot vndiqꝫ calamitatibꝰ obnoxium Christianorum Imperiũ: cuius defensionem aduersus Turcas, & hæreticos, eorumqꝫ sub ficto religionis nomine fautores solus Carolus Cæsar maximis laboribus, et suscepit, & suscipit. Imperator igitur admonere debet summum ecclesiæ præsulem, vt vrgente necessitate concilium indicat pro sedandis Reipublicæ calamitatibus: quod si huic admonitioni Romanus Pontifex refragetur: poterit tunc ipse Cæsar Cardinales admonere: hisqꝫ negligentibus conciliũ ipsum conuocabit: sicuti magis receptum est ab his, qui de synodis cõgregandis hactenus scripsere.

¶ Sed quæritur, an possit Imperator quoties iure ab eo concilium indictum sit, Episcopos cogere, vt ad indictam synodum accedãt? Nam qui-
3 busdam videtur, habere Imperatorem in hoc casu ius cogẽdi Episcopos ire ad conciliũ: idqꝫ probatur autoritate glo. in ca. vlt. vers. cõuocet. lxv. dist. quæ voluit, cõpetere ius cogendi Episcopos ad prouincialem synodum accedere non tantum Archiepiscopo, cuius est ea potestas ordinaria, sed vni tãtum Episcopo, ad quem iure extraordinario alijs deficientibus potestas deuoluta est, ad hæc facit. l. ij. ff. de iuris. omni. iud. ca. præterea. de off. delegat. quibus constat, commissa principali causa ea omnia huic cõmissioni accedere, sine quibus causa principalis nõ potest definiri. Et sane parum prodesset Imperatori quod is haberet ius cõuocandi concilium, si non posset Episcopos etiam inuitos cogere, vt ad ipsum cõcilium accedant. Hoc etiam alia ratione suaderi potest, quæ dictat, iurisdictionem temporalem subordinari ad spiritualem ita quidem, quod vna alteri in necessitatibus subministret. cap. quoniam. cap. suscipitis. x. dist. cap. cum ad verum. xcvi. dist. notatur. in ca. I. de off. ordinar. Vnde cũ ecclesia Catholica sit in maxima necessitate constituta conuocandi quidẽ cõcilium, nec huic necessitati ecclesiastica iurisdictio possit subuenire propter prælatorum negligentiam, & desidiã, poterit temporalis potestas huic malo medelam adhibere, & ideo cogere Episcopos ad concilium accedere. His tamen non obstantibus Præpo. in cap. cõcilia. §. hinc etiã. col. vlt. post Aegidium à Vellamera tenet, Imperatorẽ etiam in hoc casu nõ posse cogere Episcopos inuitos ad concilium ire. Idem probat glo. in dict. §. hinc etiã. Quibus ea ratio suffragatur, quod Episcopi, & alij sacerdotes iure diuino sint a sæculari potestate immunes, & exem-

pti. cap. si Imperator.xcvi.dist. cum alijs. Quam ob rem, & si Imperator possit concilium co̅uocare, & Episcopos ecclesiæ vniuersalis admonere, vt ad conciliu̅ accedã t: quod Constantinus ille magnus, & alij Cæsares olim fecere: ei tame̅ non licet Episcopos inuitos ad id cogere. Sed si Episcopi feuda temporalia habeã t ab Imperatore, idem Præposit. tenet, posse tu̅c eos cogi per Imperatorem pœna amissionis feudi constituta .cap. Romana. §. debet. de appellat. in. vi. cap. solitæ. de maiorit. & obed. Atq; ex hac ratione idem erit, quoties Episcopi habuerint alia bona temporalia, quorum causa sint Cæsari subiecti: cum in hoc casu eadem adsit ratio, quæ aderat in Episcopis habentibus feuda ab ipso Imperatore: & hæc vera sunt iuxta Aegidij, & Præpositi distinctionem.

¶Olim vero cum Romani Po̅tifices non omnino liberam habere̅t spiritualem iurisdictionem sibi a Christo datã: & Cæsares ipsi ecclesiastica, simul ac sæcularia negotia tractare̅t, freque̅ter Episcopi totius Christiani orbis in vnum conueniebant iussu Imperatoris, ab eoq; vocati pro celebra̅dis vniuersalibus synodis: nec tunc absque principum sæcularium decreto concilia celebrabantur.

¶Ex his, quæ in hoc capite, & præcedentibus tradita fuere, satis euidenter colligitur, posse Imperatore̅ præsen-
4 tem esse co̅cilijs vniuersalibus. Siquidem manifestum est, omnibus fere synodis generalibus, quæ hactenus in ecclesia Catholica celebratæ fuerint, Imperatores, vel eius legatos præsentes fuisse. Quinimo et Reges, alijq; Christiani Principes, quorum dubio procul multum interest, quid in vniuersali concilio definiendu̅ sit ad Christianæ reipublicæ salubri⁹ regime̅, admittendi sunt, vt concilijs p̄sentes sint, & ab ecclesiæ Prælatis spiritus sancti lumine inibi congregatis postulent ea, quæ conuenire videantur religionis, & fidei augmento, & defensioni. Hoc etenim officium proprium ipsorum principum est. Sic Hispaniarum Reges non tã tum conciliorum conuocationem olim ex Episcopis huius prouinciæ solicitarunt: sed & ipsis synodis prouincialibus p̄sentes sæpissime fuere, vt Episcopos admonerent de salubrioribus ad plebis Christianæ institutionem co̅stitutionibus. Quam ob rem multa a concilijs Toletanis, Hispalensibus, Elibertinis, alijsq; ante cladem Hispaniarum fuere ita caute, & consulte statuta, vt passim a posterioribus concilijs, & catholicis autoribus veluti maxime vtilia co̅me̅dent.

¶Sed q̄ritur an laici sint ad co̅cilium vocandi, & p̄sertim principes, maximeq; Imperator? Nam text. in cap. Principes.xxiij.q.v.respondet, quod nulla sæcularis potestas in ecclesia necessaria est, nec debet se immiscere ecclesiasticis actibus: nisi ad eum finem, vt quod sacerdotes per doctrinæ sermonem efficere non valent, sæcularis potestas hoc obtineat per disciplinæ, & punitionis terrore̅. Vnde ab eo canone deducitur, no̅ esse Principes vocandos ad vniuersale co̅ciliu̅. Etenim

licet in synodis vniuersalibus tractanda sint negotia ecclesiastica, & sup eis sunt edendi conones, atq; constituenda decreta, quæ simul clericos, & laicos, deniq; omnes, & quoscunq; fideles, & Christianos attingunt: illud iure verum est ad condendas leges minime vocandos esse eos, quos legum virtus constringit, quiq; eas recepturi, ac seruaturi sunt. l. omnes. populi. & ibi Doct. ff. de iust. & iure. l. cunctos populos. C. de summa trinit. ca. vlt. de off. legat. cap. quod super his. de maio rit. & obedi. Idcirco cum laici Principes non habeant potestatem condēdi leges in rebus ecclesiasticis, & ad definitionem concilij vniuersalis pertinētibus, vt notatur ī summa. xcvi. dist. & . xvi. q. vl. ca. laici. ca. decernimus. & cap. quāto. de iudic. cap. ecclesia. S. Mariæ. de constit. consequens est nō esse necessario vocandos Principes sęculares ad vniuersale cōcilium: sed tātum Episcopos, & eos, qui autoritatē, & ius habent definiendi ea, quæ in synodo vniuersali sunt examinanda.

¶ Nihilominus vocandos fore ad cōcilium Principes sæculares (non tantum Imperatorem) probari potest saltem in aliquot casibus autoritate glo. in cap. vlt. de his, quæ fiunt a Prælat. quæ asserit, laicos ad concilium prouinciale vocandos esse quoties de rebus fidei Catholicę agendum sit. cap. vbi nam legistis. & cap. nos ad fidem. xcvi. dist. Item si tractādum sit de matrimonijs contrahendis. ca. ad sedem. xxxv. q. v. His etenim casibus iustū est & conueniens, ac deniq; necessariū quod laici Principes quidē, nō omnes populares ad conciliū vocentur, quēadmodum glo. tenet, eamq; sequūtur Doct. ibidē. Quod si hæc vera sunt in prouinciali concilio, maiori ratione eadem admitti debent in concilijs vniuersalibus: in quibus summa est definiendi autoritas: atque in ipsis statuta sunt maiori cum obedientia recipienda: & ideo æquissimum, iureq; necessarium est, Principes laicos vocari, vt præsentes sint firmissimis harum rerum definitionibus: quod a prædicta glo. notari potest. Sed Ioā. Andreas. Antoni. & Imola. in dict. ca. vlt. existimant, non esse etiam in his casibus laicos vocandos ad concilium: quod vere constat, & congregari debet ex Episcopis, alijsq; ecclesiæ Catholicæ prælatis. Deinde si laici præsentes fuerint cōcilio, quāuis Principes sint, potius audire debere, quam super rebus controuersis iudicare, aut cōsulere. ca. docēdus. lxij. dist. Hāc Ioā. Andreę opinionem sequuntur Doct. magis communiter, sicuti asserit Panormit. idem fere probans in. q. I. incipienti, Episcop⁹. num. xxvi. imo glo. in ca. Hadrian⁹. in. I. lxiij. dist. In ea fuit sententia, vt censeat, laicos nūquā ad conciliū vocandos esse, nec in causis matrimonialibus, nec in causis fidei; sed explicat, quo ad causas matrimoniales posse eos interesse concilio, si ab ecclesiæ prælatis inuitentur: quoad causas fidei tractandas etiam nō vocatos posse ad synodum accedere.

¶ Nos autem in hac quæstione distincte quasdam proponimus ad ve-

ram resolutionem conclusiones.

¶ Prima conclusio, quę cõmunis est, Imperator, nec alij Principes sæculares vocandi sunt necessario ex præcisa necessitate ad vniuersale concilium. Hæc probatur, quia nullibi iure diuino, vel humano hæc necessitas statuta est. Et præterea synodus vniuersalis nihil aliud est, quam ecclesiæ Episcoporum collectio: sic gloss. in cap. j. xvij. dist. diffiniuit, concilium vniuersale esse quod a Papa, vel eius legato cum Episcopis celebratur. Quod cõfirmatur verbis Augustini in responsionibus ad inquisitiões Ianuarij Epistola. cxix. ca. xix. omnia talia, inquit, quæ nec Sanctarum scripturarũ autoritatibus continentur, nec in concilijs Episcoporum inueniũtur. ad idẽ est tex. in ca. omnia. xij. dist. & in ca. synodum. xvij. dist. quibus & ea ratio accedit, quod ad concilium vniuersale tantum illi vocandi sunt necessario, qui potestatem habent definiendi, & tractandi ea, quę in concilio examinanda, & agenda sunt. Nam ipsius synodi vniuersalis propria, ac vera ratio hoc expostulat, quod in alijs quibuscunq; congregatiõibus cõtingere res ipsa docet: siquidem ad nullum conuẽtum, in quo res aliqua tractãda sit, nullus necessario vocatur, nisi ius habeat de eo negotio tractãdi, illudq; definiendi. Sed Episcopi tantũ cum Romano Pontifice potestatem habent iudicandi de his rebus, quæ in vniuersalibus synodis examinandæ sunt, non aliquis Princeps sæcularis, nec Imperator ipse, quemadmodum omnibus notum est: igitur Imperator non est necessario, nec præcise ad concilium vniuersale vocandus.

¶ Secunda cõclusio. Quoties in vniuersali cõcilio de rebus fidei, de matrimonijs, alijsq; similibus negotijs laicis, & clericis communibus agendum est, minime excludendi sunt Imperator, nec Principes sæculares, si velint vniuersali synodo ĩteresse. Hæc assertio probatur in dist. cap. vbi nam legistis. & cap. nos ad fidem. xcvi. dist. dict. cap. ad sedem. xxxv. q. v. qua ratione Imperator, & alij Principes ab initio renascentis ecclesiæ semper fuere admissi ad hæc vniuersalia cõcilia: sicuti ex synodis generalibus, & alijs veterum Historijs apparet.

¶ Tertia conclusio. Tametsi ad pręcisam necessitatem vniuersalis concilij Imperator, nec Reges Christiani vocãdi sint ita, vt eis nõ vocatis, synodus res fidei, et similes tractare nõ possit: nihilominus expedit Christianæ religioni, quod ad vniuersalia concilia Imperator, & supremi Principes vocentur, & inuitentur. Prior pars huius cõclusionis probatur ex prima cõclusione: posterior autem cõstat: quia in vniuersalibus synodis tractandum est de rebus fidei, de q; alijs negotijs generaliter ad omnes Christianos pertinentibus: quæ rectius, & consultius tractabuntur vocatis ipsis laicorum Principibus. Hoc & Romanus Pontifex pollicetur in cap. Apostolicæ. de re iudica. in. vi. vbi cum ageret de conuocando concilio, se ad id Principes sęculares vocaturum promittit

non tantũ vt principes sæculares audiant, sed etiam vt consulant, quid sibi vtilius videatur, & cõmodius tranquillitati, ac Christianæ religionis incremẽto. Atq; ita Panor. in dist. ca. vlti. col. vlti. explicat. de his, quæ fiũt à præl. idem sensit Cardi. in cap. licet de electione. q. xxxv. dum scribit, Imperatorem partẽ esse concilij vniuersalis, præsertim si in eo de fidei negotijs agendum sit. ad idem tex. in ca. satagendum. xxv. q. j. est enim ecclesiæ aduocatus. cap. venerabilẽ de electio. clem. Romani Principes. de iureiur. in hanc etiam sententiã inclinat Abb. in dict. q. j. num. xxvij. Sic Romani Pontifices, quoties synodus vniuersalis celebranda est, iam ex veteri instituto Imperatorem, & principes Christianos certiores facit huius rei: vt ipsi posŝint ad synodum accedere, aut legatos mittere: qui eorũ nomine apud concilium ea proponant, quæ duxerint necessaria, vel vtilia fore ad perfectiorem principatuum, & subditorũ administrationem: quemadmodum fere in omnibus synodis generalibus effectum est.

¶ Quarta conclusio. Vtcũq; sit, etiã si ad cõsilia vniuersalia Imperator, & principes sæculares vocari debeant, sintq; admittẽdi ad consultationem: nusquã tamen vocem habent ad definitionem eorum negotiorum, quæ in synodo sunt definienda: ita sane omnium fere consensu receptum est, & id ex supra dictis apparet. Ius etenim definiendi negotia ecclesiastica, & spiritualia penes ecclesiæ Prælatos est; nec vnquã licuit iure ordinario principibus sæcularibus ea decidere. cap. ij. ca. quanto. de iudic. ca. ecclesia sanctæ Mariæ. de constit.

Cap. Quarti Summa.

1 *Decem hoc in capite traduntur vtilitates, quæ ab vniuersalium conciliorum conuocatione procedunt, atq; item exponitur, quòd concilium vniuersale in rebus fidei, & morum censura errare non possit.*

2 *Christianorum Principum concordia in vniuersali concilio solicitanda est.*

3 *Scandalum graue in Christiana religione contingẽs à concilio vniuersali tollendum est.*

Quid vtilitatis afferat vniuersalium synodorum congregatio.

¶ CAPVT QVARTVM.

QVAMVIS in proximis capitibus multa scripserimus, quę manifeste conciliorum vniuersaliũ vtilitatẽ pręse ferãt: quo suscepto muneri accuratiꝰ satisfaciamus, aliquot vtilitates lectoribus exponemus: vt hi videãt, non opus, & operam perdidisse principes, qui harum synodorum conuocationem solicitarunt.

¶ Prima siquidem vtilitas inde constat, quod facilior, & firmior sit veritatis elucidatio, definitioq; certior omnium cõtrouersiarum de rebus ad religionem pertinentibus. Facilior, ob 1 tantorum virorum, prudentum, moribus, & pietate erga diuinã maiesta-

...ad Album Apostolus ... ut ascende... Barnabas, et ... ex alijs ad Apostolos ... in Hierusalem ... quæstione etc. Ecce ad clerum a scandalo ..., et non ad Laycos ... nulla ... in eodem concilio. Joan. Eckius in enchiridio contra Lutherum c. de concilijs ... et seqq. v.

tem insignium iudicia: quæ plurimũ iuuant, ad veritatem maturius, & celerius deprehendendã. Huius rei, preter alia, testis est diuus Augustinus lib.j. de baptismo aduersus Donatistas. ca.vij. Iã enim, inquit, ne videar humanis argumentis id agere, quoniã quæstionis huius obscuritas priorib⁹ ecclesiæ tẽporibus ante schisma Donati magnos viros, & magna charitate præditos patres Episcopos ita inter se compulit salua pace disceptare, atq; fluctuare, vt diu conciliorum in suis quibusq; regionibus diuersa statuta nutauerint, donec plenario toti⁹ orbis concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationib⁹ firmaretur. Hæc Augustin⁹. Cuius verba ideo retulimus, vt percipiat lector quanto facilius contentiones de fide in synodis vniuersalibus, quam in alijs extinguantur. Firmior vero est vniuersalis concilij definitio ob eam certitudinem, quam habemus de eius decreto, ac iudicio. Concilium siquidem vniuersale ecclesiam Catholicã repsentat: quod patet actuũ. ca. xv. Nam cum Apostoli, & seniores conuenissent Hierosolymis pro decidenda quæstiõe illa de legalium cessatione, conuentus ille Apostolorum, & seniorum vocatus est omnis ecclesia, licet multi essent alibi extra illud concilium Christiani. Sicq; postquã Lucas illius quæstionis retulit definitionem, subiungit: Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam. Igitur si cõcilium recte cõgregatum ecclesiam vniuersalem repsentat, oportet omnino fateri apud ipsum concilium esse totam illam potestatem, quam in vniuersali ecclesia residere Catholicis fidelibus compertum est. Hoc & alia ratiõe manifestũ est: siquidem in his, quæ ad fidem, vel ad mores pertinent vniuersale concilium absq; ullo dubio errare non potest, ppterea quod ab Spiritu sancto, qui illi semper adsistit, regatur in omnibus, quæ iudicat, & decernit. Ioan. Etenim. xiiij. cap. Christus redẽptor humani generis id ipsum ecclesię promisit dicens. Ego rogabo patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternũ. Quæ quidem verba non ad Apostolos tantũ referenda sunt, sed ad vniuersalem ecclesiam; cui pollicetur spiritus sancti præsentiam vsq; in finem seculi. Idẽ Matthæi. ca. xviij. Si duo ex vobis cõsenserint super terram de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis a patre meo, qui in cælis est: Vbi enim sunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Ex quibus adeo receptum est, vniuersale cõciliũ errare non posse in his, quæ ad fidem & mores pertinent, vt error sit manifestus, Catholicæ fidei cõtrarius, atq; ideo hæresis, contrarium asseuerare. licet Arrius, Nestorius, Eutices, Dioscorus, Ioãnes Hus, Lutherus, & alij 2
Hæresiarchæ semp cõtenderint cõcilia vniuersalia errare posse, nullum aliud refugium habentes, quo possent eorum errores, dementiam, & audaciam temerariam defendere. Quibus

illud actuum cap.xv.obijcitur: vbi Apostoli in vnum congregati sentẽtiam de legaliũ cessatione ita pronuntiarũt: Visum est Spiritui Sãcto, & nobis. Quo enim pacto errare põt, qui Spiritum sanctũ ducem habet? idem palam constat Matthæi capit. xxviij. vbi ipsa veritas ĩquit: Ego vobiscum sum vsq; ad consummationẽ sæculi. Quæ quidem verba toti ecclesiæ dicta sunt, cui Deus promittit se ad finem vsq; afuturum. Hæc autem certitudo in definiendis fidei negotijs non est in concilijs prouincialibus, quæ errare possunt, & quãdoq; errarunt: concilium enim Carthaginense, in quo cum beato Cypriano martyre octuaginta conuenere Episcopi, in fide errauit plane, dum cẽsuit, & decreuit, hæreticos, & ab hæreticis baptizatos, cum ad ecclesiæ cõmunionem redirent, debere iterum baptizari. Qua in re satis compertum est cõcilium illud errare: sicuti ostendimus in huius operis.cap.j. Sic & conciliũ Elibertinum paulo post Nicænũ celebratum Canone.xxxvj. errauit, dũ imaginũ picturas prohibuit in ecclesia: quemadmodum in septima synodo generali decretum extat. Idcirco si quando contigerit prouincialia concilia errare, is error vel a Romano põtifice, vel a concilio vniuersali corrigẽdus est, autore Augustino, qui lib.ij. de baptismo cõtra Donatistas ait: Et ipsa concilia, quæ per singulas regiones, vel prouincias fiũt, plenariorum conciliorum autoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere, cum experimento eorum aperitur. Hæc ergo sit prima vtilitas congregandi concilia vniuersalia. Nam, vt superius obiter tetigimus, licet Romanus Pontifex res dubias ad fidem pertinentes decidere valeat. cap. maiores. de baptismo. capi. multis.xv.dist.gloss.in cap.quoties. xxiij.q.j.verb.nisi ad Petrum. & ibi tex.cum alijs eiusdem quæstionis maxime cap.quodcunq;.cap. Hæc est fides. Tamẽ quia de cõcilio vniuersali nemo ex Catholicis hactenus dubitauerit, id errare nõ posse: & de Romano Pontifice multi non infimæ autoritatis eum errare posse, & quosdam Romanos Pontifices errasse, asseuerauerint: ideo ad tollendas hasce dissensiones, & sedandum Catholicorũ animos consultius est, pro dubitationibus in causis fidei, cõcilium vniuersale conuocãdum fore. Nihilominus obtestamur ipsum Romanum Pontificem de negotijs fidei iudicantem, aut consultum respondentem errare quidẽ non posse, cum Maximi præsulis, & Christi Vicarij officio fungitur: pro Petro enim, & eius successoribus Christus exorauit, ne eorum fides deficeret. Matth.cap.xvj.

¶ Secunda, eademq; maxima vtilitas deducitur ex conuocatione generaliũ conciliorũ: nẽpe quod per eam Christiani vinculo Catholicæ fidei retinẽtur in vnitate religionis Christianæ: cum extinctis hæresibus, & erroribus, qui ex varijs prælatorum inferiorũ iudicijs oriũtur, societas fidelium fortior ĩ charitate, ac fide efficitur. Olim

enim

enim factum est. vt tempore illo, quo Cæsares Ethnici, & tyrãni Christianam ecclesiã infestabant, Christianismus fuerit in plurium errorum scissuras diuisus; liberum siquidem erat cuilibet interpretationem sacrarum scripturarum iuxta proprium iudicium, & sensum in publicum edere: cum ei resisti non posset a cõcilio vniuersali: quia Catholici Episcopi in vnum non poterant cõuenire, vt publica disputatiõe hæresibus obstarẽt. Romanũ autem Pontificem non ita, vt Euangelica docet lex, reuerebãtur prælati, & alij Asiæ, & Orientis sacerdotes, quod viderẽt, eum rabie Imperatorum oppressum esse. Constãtinus autem ille Magnus primus omnium Principum permisit, vniuersalia concilia ab ecclesiæ prelatis libere conuocari, quorum frequenti censura plurimis erroribus occursum est: quemadmodum probatur in capit. canones. xv. dist. Quod si in ecclesia Catholica non essent concilia vniuersalia, nec hactenus celebrata fuissent, ꝓfecto omnia essent ambigua ĩ Christiana religione: dareturq; cuilibet occasio nouas excitandi hæreses, aut iã extinctas iterum suscitandi. Nec potuisset Romanus Pontifex, quæ hæreticorum impudentia est, absq; vniuersalium synodorum autoritate hæreses ipsas a Christiana republica exterminare. Exemplo sunt prima illa concilia, Nicænum quidem, Constãtinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense: quorum autoritas Arrianã, Eunomij, Macedonij, Nestorij, & Eutychetis hæreses a religione extirpauit: cum alioqui, nisi ea autoritate Arrio, & alijs obuiam itum esset, adhuc eorum errores fautores, & defensores haberent, qui prauis, & distortis sensibus sacræ scripturæ testimonia interpretarẽtur. Habet Romanus Pontifex a Christo autoritatem iudicandi de hæresibus: sed preter alia experientia docuit nõ ita hactenus fuisse hæreticorũ errores radicitus euulsos, eius autoritate, sicuti vniuersaliũ synodorum Decretis, atq; censuris. Hinc deniq; post Christi Ascensionem, legisq; Euangelicæ promulgatione omnes fere exortæ hæreses, omnia schismata non aliter, quam conciliorum vniuersalium autoritate sedari potuerunt.

¶ Tertio potissimum prodest conciliorum generalium celebratio ad culturam Dominicæ vineæ. Nam vt Constantiense conciliũ testatur: Episcopi, & patres in concilio congregati vineam domini colere debent, ac tenentur veluti ministri operarij Agricolæ. cuius meminit Ioan. capit. xv. dum cõmemorat Christum dixisse. Pater meus agricola est. Ministrorũ autem officiũ est, vepres de agro Dominico euellere, plãtare fidem, & euulsis vitiorum radicibus virtutes inserere. Vnde Hieremię, primo dicit Dominus: Ecce cõstitui te super gẽtes, & regna, vt euellas, et destruas: disperdas & dissipes: ædifices, & plantes. Quę verba huic ꝓposito refert, & tribuit tex. in ca. solitæ de maio. et obedi. Sic & Hadrianus Papæ in concilio, qđ

Romæ habuit, ita ad Epos loquit: Cum debeamus o fratres, & filij dilectissimi Dominici agri strenui, & fideles esse cultores, & spiritalibus ad purgationem ipsius cœlestium præceptorum vti ligonibus, oportet, vt si qua ĩ eo spinosa, si qua germinare venenosa conspicimus, pari labore vnanimiq; zelo hæc radicitus extirpare studentes arripiamus examinis rostrum, & falcem iudicij cõcordi animo, & sententia proferamus. Ne quæso in nos exprobranter dicatur: Messis quidem multa, operarij autẽ pauci. Hactenus Hadrianus.

¶Quarta demũ oritur vtilitas a celebratione vniuersalium cõciliorum, 2 ex eo, quod Principum Christianorum concordia, & pax in eis diligenter constituitur: sedantur lites, & contentiões inter eosdem Principes cõtingentes, quę nisi tollantur maximũ dispendium inferunt Christianæ rei publicæ: atq; inde Sarracenis, Turcis, & infidelibus datur audacia occupandi Christiani orbis Prouincias. Nam ad pacificationem, & concordiam Principum Christianorum cõcilia vniuersalia congregari posse synodus ipsa Constantiensis asserit in princ. & in sessione. x. ac. xv. Item cõcilium Basiliense in cap. sacro sancta. Imo in ipsis cõcilijs agendũ est de bello aduersus Turcas, & infideles inferendo: quo eis omnia vastantibus, & Christi nomẽ delere conantibus obuiam eatur. Hec multis veteribus exemplis constat. Nam vrbanus summus Pontifex huius nominis secundus apud Clarum montem conciliũ celebrauit, in quo Decretum fuit, vt bellũ aduersus Sarracenos, & Christiani nominis hostes fieret. Calixtus item secundus habito apud lateranũ nongentorum Episcoporum concilio ex eorum cõsensu decreuit: vt supplementa militiæ deficientis, Christianis in Asia bellum gerentibus submistrarentur. Lucius etiã Tertius habito veronæ cõcilio Chrĩanos Principes exhortatus est, vt Christianis pro fide in Asia laborantibus subueniretur. Pius secundus Pontifex Maximus Mantuæ concilium, & conuentum Principum Christianorum celebrauit, in quo maximo conatu ipse Pontifex veluti futurus belli dux omnes hortatur pro bello aduersus Turcas suscipiẽdo: sicuti horum omnium exemplorum testis est Platina in lib. de vitis Pontifi. Qua ratiõe satis fit manifestum cõciliorum vniuersalium cõuocationem, etiam prodesse ad Christianorum Principum animos persuadendos, & prouocandos, vt bellum pro defensione Christianismi Turcis inferant.

¶Quinto hæc vniuersalium conciliorum congregatio admodum vtilis est ad refrenandam, & temperãdam quorundam Pontificum audaciam: qui contemptis veterum sanctissimorum patrum exemplis, & Decretis summum Pontificatum pro sua libidine administrant minime abstinẽtes a Crimine Symoniæ, ab alijsq; prauis moribus, quibus dediti maximum scandalum præbent his, quos

integræ vitæ exemplis instituendos a Christo susceperũt. Huic malo me deri synodus vniuersalis poterit admonendo summum ipsum Præsulẽ, vt animum auertat a tot facinoribus, & criminibus, quę minime digna cẽsentur, vt a totius Christiani orbis rectore, vicarioq; Iesu Christi committantur. Quod notat Card. a Turrecremata in cap. canones. xv. distin. & in lib. iij. de ecclesia cap. x.

¶ Sexto vniuersalia cõcilia valde vtilia censentur ad extinguenda quæcũq; scandala, non tantum propter hæreses, & schismata, sed et quocũq; alio modo Christianismum perturbãtia. Nam hæc non possunt tutiori, aut saniori remedio tolli, quam totius ecclesiæ in concilio congregatæ medellis, quæ ab Spirit⁹ sancti gratia, & lumine procedunt. Sic sæpissime scandala maxime turbantia religionẽ Christianam celebratione vniuersaliũ conciliorum extincta fuere: præsertim schismatum extinctione, capit. nos in competenter. §. item symmachus. ij. q. vij. cap. cõcilia. §. hinc etiam. xvij. dis. ca. si duo. lxxix. dis. & ibi Præpo sit. Abb. in cap. licet. col. iij. de electione. Vnde in Constantiensi cõcilio sedatum est schisma illud, quod tunc ecclesiam infestabat ob tres de summo Pontificatu contendentes. Sub hac deniq; vtilitate plures aliæ continentur, quæ contingere quotidie possunt ex congregatione conciliorum vniuersalium. Etenim si scandalum obortum sit ex electione Romani Pontificis, quæ vel nulla, vel Simoniaca diceretur, aut per vim, & impressionem facta: tunc Deo maximo fauente per concilium vniuersale malum hoc exterminabitur. dicto. §. item Symmachus. capi. si quis pecunia. lxxix. distinct. quod in Summa Doctores omnes admittunt vbicunq; controuersia sit de vera, iusta, & canonica electione Papæ: sicuti probatur in prædictis locis: notant. Cardi. & alij in dict. capitu. licet. qõ. iij. Bald. post rub. si quis aliquem testari prohibuer. in tractatu schismatis. col. ix. Domini. post Ioan. Andre. in cap. vnico. de renũciat. in. vj. glos. in capit. non autem. vij. qõ. j. Hinc etiam maximus effectus ex vniuersalium synodorum congregatione deducitur: si quando Romanus Pontifex in suspicionem inciderit alicuius criminis, quæ quidem suspicio grauissimum scandalum in orbe Christiano induxerit. Nam ipse Papa optimi pastoris officio functus concilium conuocabit ad eam tollendam suspicionem, in quo se ipsum ab illius criminis infamia, & nota, per compurgationem liberum esse ostendet: sicuti de beato Damaso legitur in canon. si incompetenter ad finem. ij. q. vij. & de Sixto. in cap. mandastis. ij. qõ. iiij. in capit. Nunc autem. xxj. distinct. & item de Leone. in cap. auditum. cap. omnibus. ij. q. iiij. Hoc tamen in loco protestamur, nos minime tenere, nec admittere opinionem illam, quæ hactenus docuit, non tantum ob crimen hæresis, sed etiam ob aliud quodcunq; crimen, grauissimũ

tamen, posse Papam incorrigibilem à concilio vniuersali priuari, & deponi: quam sententiam tenuerunt. glos. in capit. si Papa. xl. dist. Abb. in cap. significasti. de electio. & in cap. quoties de Simonia. atq; alij plures, vt apparet ex his, quæ citauimus in capit. ij. huius operis. Nam & si verũ esse arbitremur, Papam hereticum posse a concilio vniuersali deponi, & priuari, quia iam ipso iure diuino amisit ius, & Summi Pontificis nomen, atq; autoritatem: ex eo vero quod alia crimina Romanus Pontifex commiserit, an possit à concilio vniuersali iudicari, dubium, & incertum esse censemus.

¶ Septimo, conciliorum vniuersaliũ vtilitas apertissime constat: quia non tantum morum correctio, & censura, quo ad ecclesiæ caput, in eis tractatur, sed & quo ad membra, atq; inferiores. ca. non oportet. xviij. distin. cap. j. cap. de Eulogijs. Domi. in ca. peruenit. ca. dist. tot enim iam cautelis res agitur, tot inquã exemptionibus, tot priuilegijs, vt Episcopi, iudicesq; ordinarij minime valeant publicis sacerdotum concubinatibus, adulterijs, Symonijs, alijsq; grauissimis sceleribus obuiam ire. Quod quidẽ malum vniuersalis concilij Decretis extirpandum est.

¶ Octauo, euidens est synodi vniuersalis effectus: quoties de Canonibus constituendis deliberatio fit. Etenim cum multa sint veterum Canonum Decreta potissimũ regimini animarum salubria, a veteribusq; Sanctis Patribus ordinata, praua tamen morum colluuie oppressa, segnitie iudicum omnino neglecta, & ita antiquata, vt nisi denuo renouentur, nequaq̃ possint in praxim, & vsum deduci: oportet sane omnium Episcoporum conuentum haberi: in quo quilibet eorum exponat qui apud ipsius prouinciam Canones iam abrogati vsu, & iudicum desidia, sint modo renouandi: legimus siquidem ab antiquis vniuersalibus concilijs veteres Canones comprobatos, et renouatos fuisse ne hi in desuetudinem abirent. Hæc vero examinatio Canonum, & Decretorum, quæ moribus, atq; iudicũ desidia iam sepulta iacent, cum tamen admodum frugifera sint, nõ ita oportune fieri potest ab ipso Romano Põtifice, vt fit in vniuersali concilio ab omnibus ecclesiæ Episcopis ibidem congregatis.

¶ Nono inde poterit vniuersalium conciliorum commodum deprehendi: quod licet Papa Christi Vicarius habeat ab ipso Deo ius, & autoritatẽ condendi Canones, qui apud vniuersum orbem sint recipiendi, & seruandi. cap. sunt quidam. xxv. q̃. j. capit. proposuit. de constit. notatur in rub. de constit. tamen quandoq; præsertim in rebus arduis, & quæ ad morum correctionem generalem pertinent conuenit admodum, Canonicas leges in cõcilijs vniuersalibus statui: vt æquiori animo, benigniorią; consensu recipiãtur: & denią; maiori cũ deliberatione, ac maturitate cõsultius statuantur. Nam prouerbiorum ca.

xj.inquit Salomon: Vbi multa cõſilia,ibi ſalus.& eccleſiaſtici.vj. Multitudo ſapiẽtium ſanitas eſt orbis.Cyprianus hac de re ita in Epiſtola ad Stephanum ſcribit: Ad quędam diſponenda,& conſilij communis examinatione limitãda, neceſſe habemus conuenientibus in vnum plurimis ſacerdotibus cogere.Si quis tandẽ quę in hoc capite tradita ſunt, diligenter examinauerit,facilime percipiet, quibus ex cauſis concilium vniuerſale debeat conuocari: ſiquidem paſsim id congregandum non eſt.

¶ Decimo, concilium vniuerſale indicendum eſt, eiuſq; conuocatio vtilis cenſetur ad reprimendam audaciã & temeritatem principis Chriſtiani: qui nomine tantum Catholicus,eccleſiam ipſam Romanam, aut religionẽ Criſtianam infeſtat, auxilium infidelibus præſtans,quo liberius hi Chriſtianorum prouincias depopulẽtur. Sic Gregori⁹ Tertius aduerſus Leonem Imperatorem Romę ſynodum conuocauit, in qua ipſum Cæſarem Imperio, & communione fideliũ priuat: quod ſacras imagines e Templis abrauſſet. Gregorius item Septimus Henricum Quartum Romæ cõuocatis Epiſcopis pluribus, execrationes,& Anathema pronuncians eccleſiæ cõſortio mulctauit: quia conatus Cæſar fuerat vnitatem eccleſiæ ſcindere: eidemq; Põtifici reſiſtere in his, quæ ad ſpiritualem eius poteſtatem pertinebant. Hæc nota ſunt ex Platina in libro de vitis Pontificũ. Qui etiam ſcribit, quo pacto Innocentius Quartus aduerſus Fredericũ Secũdum Lugduni concilium habuerit: ex ea cauſa, quod idem Imperator Romano Pontifici inſidiaretur: cuius rei mentio fit in capi. Ad apoſtolicæ, de re iudicata. in ſexto.

Ex capite ſequenti.

1 *An teneatur Summus Pontifex concilio eius autoritate indicto præſens eſſe: & an eius præſentia ſit omnino neceſſaria?*

2 *Vniuerſalia concilia autoritate Papæ conuocata, eo tamen abſente celebrata, ſemper conſueuerunt poſtulare confirmationem Canonum, & Decretorum à Romano Pontifice.*

3 *An ſit ea confirmatio præciſe neceſſaria, quamue vtilitatem afferat?*

Qui ſint neceſſario vocandi ad vniuerſale concilium.

¶ CAPVT QVINTVM.

NON ſemel in præcedentibus admonuimus, ipſius Romani Pontificis officium eſſe, conciliũ vniuerſale conuocare: idq; regulariter ab alio fieri non poſſe abſq; eius autoritate. Sed an debeat Papa, ac teneatur præſens eſſe, cõcilioq; vniuerſali præſidere, pleriq; dubitarunt. Etenim illud certiſsimũ eſt, non alium, quã Romanum Pontificem, primum locum in generali ſynodo obtinere, cum ſit eccleſię caput: atq; ideo ſi præſens ſit, ipſe primã vocem, primum locũ, ſummũq; concilij 1

prætorium, atq; præsidis nomen, & iura habebit. cap. significasti. ea. licet. de electio. idem probatur in capi. graue. de præb. & in capit. sicut olim. de accusati. ubi Metropolitanus censetur caput Prouincialis concilij: sic etenim & Papa caput est concilij vniuersalis: cuius autoritate debet conuocari: poteritq; Summus Pontifex eidē, si vellit interesse: necessarium tamen non est, quod ipse Papa concilio vniuersali præsens sit. Nulli etenim synodo ex illis octo, quæ præcipuæ sunt, ac potissime conciliorum generalium nomen obtinent, Romanus Pontifex præsens fuit, quemadmodum ex eorundem conciliorum actionibus palam cōstat. Imo, vt scribit Cardi. a Turre Cremata libr. iij. de ecclesia. cap. xj. non semper expediret ipsum Pontificem Summum cōcilio generali præsentem esse obuarias, & vrgentes causas. Harum aliquot idem Cardinalis adducit. Prima quidem, ne Romanis Pōtificibus præsentibus concilio aliqua vis fiat, vel iniuria inferatur ab Imperatoribus, alijsq; principibus secularibus, si negotiorū definitio iuxta eorum votum, & arbitrium minime contingerit. Nam & Fœlix Papa huius nominis Secūdus a Constantio Cæsare in concilio, quod Romę habuit sede pulsus, martyrio Coronatus, capite trumcatur: quemadmodum in eius vita Platina scripsit. Est & alia causa, quæ Pontifices Summos auertit, ne præsentes sint cōcilijs vniuersalibus, vrbis nempe Romanæ cura, & administratio, quæ Papæ præsentiam exigit. Et præterea satis sufficiens causa quibusdam ea videtur, quod illis primis, & antiquissimis ecclesiæ Catholicæ concilijs nusquā Romanus Pōtifex præsens fuerit. Has namq; duas posteriores causas Leo Papa iustissimas esse censuit, dum a Martiano Imperatore ad concilium Chalcedonense inuitatus, vt præsens illi foret, patribus in eodem concilio congregatis, & Pulcheriæ Augustæ rescribens has potissimum excusationes exposuit, sicuti constat ex Epistolis Leonis Papæ, & ex ipsius concilij Chalcedonensis actionibus.

Quarta deinde ratio huius moris, Cardinale. a Turre Cremata in distinct. cap. xj. adnotante, potest congrua existimari, vt Papa absens a concilio liberius posit Decreta, canones, & concilij definitiones confirmare, aut improbare. Nam ab initio renascentis ecclesiæ ita obtinuit, vt Decreta conciliorum vniuersalium, etiā autoritate Papæ congregatorū, & quibus Apostolicæ sedis legati præsentes fuerint, ad ipsum Romanum Pontificem mittantur ab eodem comprobanda, & confirmanda. Etenim quo ad definitiones etiam fidei Catholicæ ab ipso concilio cum legatis Apostolicæ sedis datas, & decretas, semper ecclesia petiuit a Romanis Pontificibus confirmationem: nec antea quam per eos Decreta comprobarentur, quidquam certum habere voluit, & firmum licet a legatis Apostolicæ sedis fuerit definitum. Qua

de re plura sunt testimonia, quæ latius referuntur a Cardina. de Turre Cremata. in libro.tertio. de ecclesia.capit. xxxiiij.& Alberto Pighio. lib.vj.de ecclesiast. Hierarchia.capit. ix.eorum aliquot breuiter, vt propositæ materiæ satisfaciamus, modo explicabimus.

¶Primum quidem in illa celebratissima Nicæna synodo, cui præsentes fuere Victor,& Vincentius præsbyteri vrbis Romæ Apostolicæ sedis legati a beato Papa Syluestro missi: Osius item Episcopus Cordubensis, quem et legatum fuisse Syluestri, quidam opinantur, multa de rebus fidei, deq; alijs negotijs statuta sunt, quorũ tamen confirmationem synodus ipsa a Syluestro Papa postulauit. Extat Epistola ipsius synodi Nicænæ ad Syluestrum,& eiusdem Syluestri responsio. Vnde manifestum est, acta Decretaq; omnia illius synodi missa fuisse ad Romanum Pontificem, vt ab eo confirmarentur: tametsi eius legati præfuissent ab eo destinati concilio.

¶Post hæc in concilio Calcedonensi cui præsentes fuere legati Leonis tũc Summi Põtificis Paschasinus,& Lucentius Episcopi, atq; Bonifacius prę sbyter Romanus, multa sunt ad fidei Catholicæ institutionem, adq; morum correctionem definita, quæ rata,& firma concilio visa non fuerunt, donec ab ipso Summo Pontifice fuerint confirmata: quemadmodum cõstat ex Epistola ipsius Synodi ad Summum Pontificem Leonem: a quo eius legati, & Episcopi apud Chalcedonem congregata petierunt, vt acta, Canones,& Decreta concilij stabiliret.

¶Concilium autem Constantinopolitanum, quod post Nucænam synodum conuentum est, nihil aliud aduersus Macedonium, Sabellium, & Eunomium egit, aut definiuit, quam quod Episcopi vniuersæ ecclesię Damasi Papæ sentẽtiam sequuti probarunt. Nam Paulo ante conciliũ istud Damasus Romæ synodum habuerat cum sacerdotali clero, quem in vrbe secum obtinebat, eosdemq; Hæreticos anathematizans, damnauerat: ac demũ scribens ad Paulinum Thessalonicensem Episcopum Apostolicæ sedis apud Orientem legatũ, præcepit eidem, suam in hæreticos censuram,& sententiam per Orientis ecclesias publicari: & curauit concilium Constantinopoli celebrari, vt omnes intelligerent, iustam, Catholicamq; fuisse eius sententiam.

¶Nestorij præterea hęresis in concilio Ephesino damnata per Episcopos ibi conuocatos, prius a beato Cęlestino Papa improbata fuit: nihilq; concilium in huius negotij definitione censuit, quod non fuerit antea per ipsum Cælestinum decretum: quod constat ex Epistolis eiusdem ad Nestorium,& Cyrillum.

¶Extat etiam Epistola Leonis Papæ Secundi ad Constantinum Cæsarem, qua Synodi sextæ acta admittit,& approbat: tametsi ea iam statuta fuissent auctoritate legato

rum nomine Apostolicæ sedis eidem concilio præsidentium.

¶ Quia & septimæ synodi acta apud Nicæam vrbem de venerandis imaginibus: deq; eis ab ecclesijs, & tēplis non tollendis, per Hadrianum Summum Pontificem huius nominis Primum confirmata fuere Tarasio Constantinopolitano Archiepiscopo ea ad Summum Præsulem cū Epistola referente: quāuis & huic synodo legati Apostolicæ sedis presentes fuerint, eiusq; decretis cōsenserint.

¶ Quibus & alijs testimonijs manifestissime conuincitur ea, quæ a legatis Apostolicæ sedis cum Episcoporum concilio fuerint circa fidei dubia decreta, non fuisse ab omnibus recepta, vt certa, & firma, nisi specialem habuerint confirmationem Romani Pontificis: quod hactenus in omnibus fere concilijs ita obtinuit, vt plane omnium iudicio, & sententia, id ita fieri oportere existimandum sit.

¶ Quæritur tamen non immerito, an concilia vniuersalia legitime congregata Romani quidem Pontificis autoritate, & iussu teneantur petere a Papa confirmationem eorum, quæ ab ipsa synodo Decreta fuerint de rebus fidei præsentibus Apostolicæ sedis legatis? Et quibusdam visum est, hanc confirmationem multis nominibus vtilem esse: non tamen omnino necessariam: imo Decreta, vt diximus, definita, & statuta, certa, ac firma fore absq; ipsius Romani Pontificis confirmatione. Horum opinioni suffragatur, quod concilia Romani Pōtificis autoritate vniuersaliter congregata, generalia sunt, atq; generalia fuere a Catholicis dicta, licet ab eis absens Papa fuerit. Hoc etenim patet ex illis Octo synodis vniuersalibus, quæ præcipuum conciliorum nomen apud Catholicos habuerūt, quarum nulli præsens fuit Pontifex Romanus, & nihilominus generalia, & toti⁹ vniuersalis ecclesiæ cōcilia oecumenica censentur. Nec id nemo vsq; negauit. Concilia vero vniuersalia in definitionibus ad fidem pertinētibus errare non possunt, quemadmodum alibi iā sæpissime docuimus, & nunc iterum profitemur Catholicæ ecclesiæ de hac re sententiam sequuti aduersus hæreticorum pestilentissimū errorem. Nam concilium vniuersale legitime congregatum in his, quæ ad fidem attinent, errare non posse, nec vnquam errasse certissimū est, atq; ab ecclesia Catholica ita receptum, vt qui contrarium animo pertinaci dixerit, hæreticus sit censendus, quemadmodum constat ex his, quæ tradidere Episcopus Rosensis in eo opere quod aduersus Lutherū scripsit arti. xxviij. & .xxix. & Cardi. de Turre Crema. lib. iij. de ecclesia. ca. lviij. qui plura huius assertionis fundamēta, et autoritates explicarunt. Quod si cōcilia vniuersalia in pertinentibus ad fidē errare non possunt, & concilia Papæ autoritate congregata, etiā eo absente vniuersalia dicūtur ibidē præsentibus Apostolicę sedis legatis, qui cōcilijs præsint: colligitur apertissime, Decreta circa fidei negotia ab his

conciliis constituta, etiam absque alia cõfirmatione Romani Pontificis certissima esse, & infallibilia.

¶ Secundo eandem opinionem probare videtur alia ratio. Nam concilia vniuersalia autoritate Romani Põtificis congregata, etiam eo absente, ecclesiam vniuersalem repræsentant. Hoc apparet. act. capi. xv. vbi cum Apostoli, & Seniores in vnum conuenientes pro decidenda quæstione illa, quæ tunc a plerisque dubia censebãtur, de legaliũ cessatione, illam tractauerint, cõuentus ille dictus est, oĩs ecclesia, licet alibi multi essent Christiani, qui aberant ab eo concilio. Placuit, inquit Lucas, Apostolis, & senioribus cum omni ecclesia. Ibi enim probatur, ecclesiam vniuersalem a cõcilio vniuersali legitime congregato repræsentari.

¶ Tertio, pro eadem sententia facit: quod si concilium vniuersale legitime congregatum absente Papa errare possit in pertinentibus ad fidem: inde deducitur euidenter, illam infallibilitatem, & certitudinem, quæ in definitionibus fidei concilio vniuersali tribuitur, non ei, sed Papæ tantũ tribuendam esse. Hoc autem aliqua ex parte videtur contrarium ei conclusioni, quam Catholici admittunt tenentes, concilium vniuersale in definiendis negotiis fidei errare nõ posse si legitime fuerit congregatum: igitur probabile est, quod cõcilium vniuersale legitime congregatum in his, quę circa fidem absente Papa Decreuerit, errare non posse. Et quia cætera constant probatur adsumptum: quia si absente Papa Decreta de rebus fidei a concilio vniuersali legitime cõgregato, donec ipse Papa ea receperit non sunt certa, nec infallibilia: manifeste constat infallibilitatem, & certitudinem hanc tribuendam esse consensui, & approbationi Romani Pontificis: quasi penes ipsum, non penes vniuersale concilium legitime congregatum sit hoc speciale priuilegium circa decisionem dubiorũ ad fidem pertinentium, quod errare non possit. Et tamen de concilio vniuersali nemo vsquã dubitauit, quod is errare in rebus fidei non possit: de Papa vero plerique dubitarunt: imo ausi sunt viri autoritate celebres asserere Papam errare posse in his, quæ ad fidem attinent.

¶ Quarto, si concilium legitime congregatum errare posset in his, quę de fide senserit absente Papa, & nõ probante concilii definitionem: sequeretur in his casibus, quibus superius diximus, concilium absque autoritate Papæ legitime posse conuocari, non posse concilium ipsum ita conuocatum tractare, nec definire fidei dubia: quæ definienda non sunt, vt certitudinem habeant Catholici ab eo, qui errare potest. Quod manifestissimum est. Huic denique opinioni facile consentient, qui tenuerunt, conciliũ esse supra Papam, & standum esse definitioni concilii vniuersalis in rebus fidei potius, quam Papæ iudicio: quemadmodum in Constantiensi, & Basiliensi conciliis Decretum fuit,

& defenditur à Gersone ac Parisiensibus, & his, qui prædicta duo concilia tutantur. Idemq; asseuerat Ioan. Driedonis de dogmatibus ecclesiasticis. lib. iiij. cap. iiij. ad finem.

¶ Quinto item sequeretur, non posse censeri certam concilij vniuersalis sententiam, qua Romanum Pontificem hæreticum esse pronuntiat: tametsi vniuersalis synodus Papam hęreticum iudicare posſit, & ad hoc negotium sine eo legitime conuocari: iuxta communem Theologorum, & Canonistarum opinionem. Nam si ponimus concilium vniuersale legitime congregatum nihil certum de fide pronuntiare, aut definire posse absq; consensu speciali Romani Pontificis: colligitur quidem, non esse certum iudicium totius concilij vniuersalis, quo decernitur Dogma, & opiniones a Romano Pontifice propositas, hæreticas esse. Hæc vero duo, quæ vltimo adduximus, multis videntur minime conuenire, receptis iā fere omnium consensu opinionibus, atq; ideo inconueniens datur ex his, si teneamus concilium vniuersale conuocatum legitime, errare posse absente Papa, eiusq; non habita speciali definitionum omnium approbatione. Nisi quis dixerit, non posse vere legitime cōgregatum dici concilium vniuersale, in quo non adsit ipse Papa, cuiq; præsens non sit, etiam si eidem concilio præsideant Apostolicæ sedis legati. Quod nemo vnquā dixit, nec vere dici potest secūdum ea, quæ hac in materia pasſim ab autoribus traduntur.

¶ Ex aduerso alijs placet, non tātum vniuersalia concilia, quo ad conuocationem, pendere a Romano Pontifice, sed etiam legitime congregata in omnibus actibus, Decretis, & canonibus a Romani Pontificis cōfirmatione, & speciali approbatione autoritatem, & vires assumere: quāuis ipsis concilijs legati Apostolicæ sedis pręsentes fuerint. Hanc opinionem defendunt, & sequūtur Card. a Turre. Cremata in lib. iij. de ecclesia. ca. xxx. iij. & sequentibus Albertus Pighius lib. vj. de ecclesiastica Hierarchia capit. ix. & x. & Caieta. in tract. de autori. Papæ, & concilij. capitu. xj. & capit. xvj. quibus illud pręsertim patrocinatur, quod, vt in hoc capite ostendimus, hactenus Decreta omniū conciliorum generalium legitime, & autoritate Papę conuocatorum, quibusq; præsentes fuerint Apostolicæ sedis legati, ad Romanum Pōtificem Missa fuerint, vt ab eo approbarentur: nec prius certa, aut firma existimabātur. Vnde maximum signum est, hanc specialem confirmationem necessariam esse, vt conciliorum vniuersalium definitiones certę, & firmæ censeantur.

¶ Secundo eadem opinio probatur: concilia etenim vniuersalia, vtcunq; sint legitime congregata, non habent immediate a Christo potestatem: sed ab ipso Papa, & eo mediante a Christo, sicuti latisſime conantur probare Card. de Turre Crem. in dict. li. iij. de ecclesia. c. xxx. Caiet. & Albertus

Pighius Paulo ante citati. optimus text. in cap. significasti. de elect. capit. Haec est fides. xxiiij. q. j. & Ioan. vltimo vbi Petro, cui Romani Pontifices successerunt, cōmittūtur a Christo oues pascendae: idest omnes Christi fidelis. Ergo ipse Papa supremam autoritatem habet: a qua reliquae omnes potestates deriuantur in ecclesiastica Hierarchia, & autoritatē habēt. Vnde Augusti. super Ioannē inquit Petrus quando claues accepit, ecclesiā sanctam significauit. ca. quodamq;. xxiiij. q. j. ipse quidem Petrus ecclesia dicitur. Matthaei. cap. xxviij. vbi agitur de fraterna correctione: & additur: Si te non audierit, dic ecclesiae: idest praelato. Nam praelatus, qui ecclesiam aliquam regit, ecclesia dicitur cap. scire debes. vij. q. j. Igitur si concilium eam autoritatem, quam vere habet a Christo, mediante Papa obtinet & subordinatam Papę autoritati, & Decreto: profecto eandem habere videtur a Papa, nihilq; sine ipsius consensu, & approbatione agere potest, quod certum sit, & in rebus fidei infallibile. Quamobrem hac ratione probatur posterior hęc opinio ab his, qui eandem sequuntur.

¶ Tertio, ne quis obijciat, satis esse legatos Romani Pontificis cum ipsius iussione, tum ab eo delegatis vicibus concilio praesentes esse, vocemq;, & suffragium dedisse, vt concilij certa sit de rebus fidei definitio, illud est considerandum, Papam non posse cuiquā committere potestatem illam infallibilem, quam habet in his, quae ad fidem pertinent: ita quidem, vt quae de fide decreta sint ab eius legato, eandem certitudinem habeant, quam habuissent si ab ipso Papa definita forent. Hoc deducitur ea ratione, qua constat, priuilegium istud excellentis praerrogatiuae, quod in rebus fidei Papa errare non possit, omnino adhaerere dignitati, & officio Summi sacerdotis, atq; ideo ab ea dignitate separari nequit. Non enim negamus, posse delegari a Romano Pontifice potestatem cognoscendi de fidei negotijs: nam ea vere committi alteri potest, & saepissime fuit commissa, non tantum inquisitoribus haereticae prauitatis, sed & alijs praelatis, & ecclesiasticis iudicibus: ea tamen delegata potestas non habet speciale priuilegium, quod in definitionibus errare non possit, possunt enim legati Papae etiam ad concilium destinati, & alij commissarij errare in Decidendis negotijs fidei. Deus etenim cum dixit Lucae capit. xxij. ad Petrum: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: manifeste docet, hanc doctrinae certitudinem, & infallibilitatem fidei Petro cōcessam esse, non ratione ipsius, sed ob causam ouium illi commissarum. Quod patet, quia statim subdit: Et tu aliquādo conuersus confirma fratres tuos: quasi dixerit, idcirco rogaui pro te, ne deficiat fides tua: quia tu docere debes omnes oues tibi commissas, omnesq; fideles legem istam Euangelicam profitētes. Vnde apparet pro solo Petro & eius successoribus rogasse Deū, ne eorum fides deficeret in docendis, &

instruendis ouibus, quarum cura illis commissa est. Igitur legati, aut cōmissarij Romani Pontificis non habent idem priuilegium: cum pro eis Christus non rogauerit, atq; ideo legatorum præsentia, eorumq; sententiæ de rebus fidei in vniuersali concilio latæ, & pronuntiatæ non efficiūt illam certitudinem, & infallibilitatē, quam haberent, si ab ipso Papa pronuntiarentur. Quod si legati, & cōmissarij instructionē a Romano Pōtifice habuissent, & specialem ipsius de aliqua fidei controuersia definitionem, & secundum illam pronuntiarēt, vocemq; nomine Apostolicæ sedis dedissent: dubio procul Decretū id omnino certum, & infallibile iudicandum est.

¶Huic vero tertiæ rationi, qui priorem opinionem sequūtur, facilime respondebunt, legatos quidem Apostolicæ sedis præsentes concilio, errare posse, non tamen totum concilium: imo eius Decretum in rebus fidei esse certum, & infallibile.

¶Posterioris autem sententiæ autores, tenentes concilium vniuersale legitime congregatum non posse quidquam in rebus fidei decernere, quod certum sit, & infallibile, nisi Romani Pontificis absentis specialis confirmatio accesserit: ratiōibus cōtrariæ opinionis ita respondere conantur, saltē non aliter possunt eius fundamenta tollere.

¶Primam etenim rationem ita intelligendam esse censent, vt vel concedendum sit, non dici vere concilium vniuersale illud, quod, & si legitime cōgregatum sit, habeatq; præsentes legatos Apostolicæ sedis: Papa tamē absente de negotijs ecclesiæ tractat. Aut sane dicendum sit, cōcilium vniuersale nō posse in rebus fidei errare, quo ad ea, quæ ab eo simul, & Romano Pontifice, aut eius speciali consensu definita sunt: concilium autem vniuersale etiam legitime congregatum præsentibus Apostolicæ sedis legatis errare posse in his, quæ de fide definita fuerint absq; speciali approbatione, & confirmatione Romani Pontificis: quemadmodum distinguit satis euidenter Card. a Turre. Crem. in dist. lib. iij. de eccles. cap. lviij.

¶Secundo fundamēto respondetur, concilia vniuersalia tunc ecclesiā vniuersalem repręsentare, cum eis præsens fuerit ipsemet Papa caput ecclesiæ: eo vero absente, & si p̄sentes sint concilio vniuersali legati Apostolicæ sedis, & fuerit legitime synodus ipsa congregata, nō repræsentari ab ea vniuersalem ecclesiam. Atq; ita necessario concedere debent hanc distinctionem, qui vltimam opinionem sequuntur. Nam & ipsi in specie notant in illo concilio Apostolorū act. cap. xv. Petrum præsentem fuisse.

¶Tertiam rationem quidam ita tollere tentant, vt manifeste in fallibilitatem, & certitudinem in rebus fidei definiendis tribuant concilio vniuersali simul et Papæ præsenti, aut absenti specialiter tamen approbanti quæ a concilio statuta fuerint: vel ipsi soli Papæ, qui ecclesiam ipsam repræsentat:

tat, pro quo & Chrus orauit, ne eius fides deficeret. Vnde hi autores plane fatebuntur, & fatentur, quod si concilium aliquid de fide definierit etiam legitime congregatũ: & Romanus Põtifex siue præsens, siue absens contrarium decreuerit, hanc Papæ decisionem certam, & infallibilem: contrariam vero erroneam esse censendã. cuius contrarium tenent Abb. in capit. significasti de electio. Præpo. in cap. In istis. iiij. distin. & in cap. Anastasius. xix. distinct. Feli. in cap. j. de cõstit. nume. xxiiij.

¶ Quarta ratio tollitur, si consideremus vltimæ opinionis autores etiam tenere, concilium congregatum absq; autoritate Papæ his casibus, quibus id permissum iure est, non posse tractare negotia vniuersalis ecclesiæ quo ad definitionem, & canonum constitutionem: sed tantum de ea causa, quę dederit concilij conuocandi ius, & occasionem: atq; vt ecclesia verum pastorem habeat, qui eius curam suscipiat: quod tradit Caieta. de autoritate Papæ, & concilij. cap. xvj.

¶ Quinta prioris opinionis confirmatio ex eo deficit, quod secundũ sententiam eorum, qui Papæ autoritatẽ aduersus concilia defendunt, tunc poterit concilium Papam hæreticũ iudicare, & deponere, cum is in notoriã & manifestã hæresim ab ecclesia iam damnatam inciderit, aut in eam, quæ manifeste articulis fidei, vel sacræ scripturæ repugnet. Vnde in his casibus concilium rem de fide dubiam nõ definit aduersus iudicium Papæ: sed cũ declarat in hæresim manifestam incidisse. Et præterea licet conciliũ absq; Papa in rebus fidei errare posset: non ex hoc sequitur quod non possit iudicare, & deponere Papam hęreticum. Sicuti & iudices inquisitores possũt aduersus hæreticos procedere, & eos punire: licet non habeant ius constituendi certas, & infallibiles de fide definitiones.

¶ Nos huius controuersiæ certã decisionem Sanctæ Matris ecclesiæ iudicio relinquentes, multis ex causis vtilem, & religioni Christianæ admodũ commodam opinamur confirmationem Romani Pontificis, et specialem approbationẽ eorum, quæ a toto cõcilio vniuersali definita fuerint, etiam ibidem præsentibus Apostolicæ sedis legatis.

¶ Primum quidem, vt Summo sacerdoti, Christi vicario, & capiti ecclesię hæc exhibeatur reuerentia: quæ iam ab initio ecclesiæ, & legis Euangelicæ ab omnibus vniuersalibus concilijs exhibita fuit.

¶ Secundo, vt omnibus constet Romanum Pontificem in his rebus grauissimis, quæ ad fidem pertinent, idẽ cum concilio sentire. Etenim hac ratione oportet quod Romanus Pontifex nõ solum per legatos proprios, sed etiam per se ipsum, & eius specialem approbationem suam exprimat sentẽtiam. Sic enim Leo Papa in Epistola ad conciliũ Chalcedonense confirmationis reddẽs rationem inquit: Vt fraterna vniuersitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non

ſolum per fratres,qui vicem meã exequuti ſunt, ſed etiã per approbationẽ geſtorum ſynodalium propriam vobiſcum inijſſe ſententiam. Hactenus Leo Papa.

¶Tertia cauſa eſſe poteſt, ne Romanus Pontifex poſsit poſtea deficere a concilij definitione: aut ſi forte defecerit,ne cauſetur,ſe nuſquã tali definitioni conſenſiſſe. Ergo ne id in poſterũ eueniat,opus eſt,vt Papa propria manu ſubſcribẽs dicat, ſe idem cum toto concilio ſentire, eãq; amplecti fidem, quę a toto cõcilio Spiritu ſancto ſuggerẽte data eſt.Nam ſi Põtifex poſtmodũ a cõcilij decretis tẽtauerit diſcedere,ſua ipſi' ſubſcriptiõe dãnabitur,

¶Quarta cauſa vere potiſsima eſt, quæ dictat,ſynodi vniuerſalis decreta ab ipſo Papa confirmanda fore:ab eo deducitur, quod licet conciliũ vniuerſale errare non poſſet abſente Papa,legitime tamẽ congregatum,in rebus ad fidem pertinentibus:in alijs tamen negotijs errare poſſet,& ſæpiſsime contigit iam erraſſe: vnde par eſt, quod ipſius Decreta, & definitiones ad Papam deferantur, vt eas confirmet.Sic concilium illud Chalcedonẽſe, quod ex quatuor celebratiſsimis vnum eſt, dum Patriarcham Cõſtantinopolitanum præferẽdum eſſe cenſuit Alexãdrino, errauit quidẽ,eiuſq; Decretum reprobatum fuit a Leone Papa: ſicut conſtat ex eiuſdem Leonis Epiſtola Quinquageſima Septima ad Martianum Auguſtum, & Epiſtola.lix,ad ipſum conciliũ Chalcedonenſe.

¶Hactenus tandem viſum eſt, qualiter Papa ſi velit concilio vniuerſali intereſſe, primũ eius locum obtinebit, quod nulli dubium eſſe poteſt: deinde non admodum conuenire ipſum præſentem eſſe ſynodis vniuerſalibus propter eas rationes,quas ſuperi' examinauim'. Hinc igitur patet Romanum Pontificem teneri, & poſſe mittere Apoſtolicæ ſedis legatos,qui concilio vniuerſali eius nomine præſideant:quemadmodum hucuſq; Romani Pontifices fecerunt.Nec in numero legatorũ aliqua eſt limitata certitudo, nec in perſonarum dignitate: habet etenim Pontifex liberum arbitrium, quos velit, legatos deſtinare, modo hi Catholici ſint, vita & moribus probati.Nam præter legatos octo vniuerſalium conciliorum, quæ præcipua cenſentur,& quorum primo capite meminimus, in Sardicenſi cõcilio preſentes fuerunt legati Apoſtolicæ ſedis Vincẽtinus Capuanus Epiſcopus,Ianuarius Beneuentanus, et Callipodius Neapolitanenſis. tex. in.c.prima annotatio.§. quarta.xvj. diſtinct. Ex Iſidoro in principio conciliorum. hoc autem concilium generale fuit, & congregatum eſt ſub Iulio Papa huius nominis primo.cuius origo, & cauſa tractatur a Caſsiodoro libr.iiij.Tripart.cap.xxj.Probãturq; huius ſynodi Canones a Nicolao Papa.capi.quod dicitis.xvj.diſtinctiõ. & in ſexta ſynodo generali apud Conſtantinopolim celebrata. Item legatorum Apoſtolicę ſedis,qui fuerunt miſsi ad octauam ſynodum

meminit text.in.capitul. Hadrianus. in.j.lxvj.diſtinctione.

¶Sic Paulus Tertius ad concilium, quod Tridenti conuocauerat, legatos Apoſtolicæ ſedis miſsit, vt eius nomine præſiderent, Ioannẽ Mariam Epiſcopum Pręneſtinum Cardinalem, qui poſt obitum eiuſdem Pauli electus in Summum Pontificem, nunc fœliciſsime Iulius Tertius Apoſtolicam ſedem obtinet: item Marcellum presbyterum Cardinalẽ Sanctæ crucis, & Reginaldũ Polum diaconum Cardinalem Anglicum. Ipſe Iulius Tertius ad idem concilium Tridentinum, quod Paulo ante obitum Pauli Tertij intermiſſum fuerat, legatum itidem deſtinauit Sanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalem Creſcentium, ſimulq; cum eo viros inſignes eruditione, & diſciplina miſsit: Archiepiſcopum inquam Sipontinum, & Epiſcopum Veronenſem.

¶Ad concilium autem vniuerſale illi neceſſario vocandi ſunt, qui vocem definientem in cauſis, & rebus inibi tractandis habent: ad eos etenim expectat vere omnium controuerſiarum definitio: atq; ideo qui hanc vocem habent, ſunt omnino vocandi: alij vero, quibus vox definitiua minime competit, vocandi non ſunt regulariter ad exemplum aliarum congregationum: ad quas illi tantum ſunt vocandi, qui vocem habent in his; quæ ab ipſis congregationibus, & conuentibus ſunt tractanda. vt probatur in cap. venerabilem. capitu. bonæ in. ij. de electio. l. obſeruare. C. de decurio. lib. x. Hoſti. in Summa tit. de electio. §. qualiter facienda. cap. quia propter & capit. quod ſicut. vbi Innocent. & Panor. de electio. tex. optimus in. ca. quia propter. eod. titu. tradit Abb. in cap. cum omnes. colum. iij. de cõſtit. poſt Bart. in. l. omnes populi. colũ. vj. verſi. Secundo quæro. ff. de iuſti. & iure. quamobrem nunc tractandũ eſt de his, qui in vniuerſali ſynodo vocem habent definitiuam.

Capitis ſequentis Summa.

1 *Patriarchæ vocem habent definitiuam in concilio vniuerſali.*

2 *Cardinales, etiam non Epiſcopi, habent in ſynodo vniuerſali vocem definitiuam.*

3 *An Abbates, & generales ordinum religioſorum admittendi ſint ad vocem definitiuam in concilio vniuerſali?*

4 *Epiſcopi electi nondum conſecrati, & Epiſcopi nõ habentes eccleſiarum adminiſtrationem, & Protonotarij an habeant vocem in concilio vniuerſali conſultiuam, & definitiuam?*

De his, qui vocem definitiuam in vniuerſali ſynodo habent.

¶CAPUT SEXTUM.

IN vniuerſali concilio quo ad definitionem eorum, quę ibidem ſunt tractãda, pręter ipſum Papã eiuſq; legatos vocẽ habent, & ſententiam dicere poſſunt Patriarchæ: vt probatur in. cap. ha-

beo librum.xvj.dist.cap.conuenientibus.j. qō.vij. Patriarcha autem & primas idem sunt.cap.j.xcix. distin. glos.in cap.coram.de in integr.resti. gloss.in capi. duo simul.de offi.ordi. At principales Patriarchæ quatuor censentur hoc ordine præferendi, Cōstantinopolitanus primum, Alexandrinus secundum, Antiochenus tertium, Hierosolymitanus quartū locum obtinentes. cap.antiqua. de priuileg. Ex quo patet Patriarchā Constantinopolitanum post Papam primum locū obtinere, & præferri Alexandrino.cap.sacrosancta.cap.Constantinopolitanæ.capit. renouantes. xxij.dist. idem fuit Decretū in concilio Sexto generali Constantinopoli celebrato.canone.xxxvj. & prius in cōcilio Constātinopolitano: idest in Secunda synodo vniuersali. can. v. quin et in quarta synodo apud Chalcedonem ca.xxviij. Idem priuilegiū datum est Constantinopolitano Patriarchæ: sed tamen a Leone Papa illud Decretum statim fuit reuocatū & ab eo institutum est, quod Alexādrinus Patriarcha præferatur Constantinopolitano sicut antea præferebatur ita quidē, vt Alexādrina ecclesia post Romanā Primum locū habeat: secundū vero Constantinopolitana, sicuti apparet ex epistolis.lvij. &.lix.eiusdem Leonis Papæ. Vnde Alexandrina sedes, quæ olim erat secunda respectu Romanæ, quæ erat prima, facta est tertia: Constātinopolitana autē secūda. Quod si post Romanam ecclesiā caput omniū aliarū ecclesiarum fiat distinctio, olim Alexandrina erat prima, Constantinopolitana Secunda, Antiochena Tertia, Hierosolymitana Quarta: hodie vero Constantinopolitana est prima: Alexandrina Secūda. vt hinc intelligatur quod Gratianus in dict. cap.renouātes: versi. vlti.non admodum expedite explicat.

¶ Hi quatuor Patriarchæ in concilio Post Papam, et Episcopū Hostiēsem, qui Cardinalis est, primas sedes habent, & præferuntur cæteris Episcopis, etiam Archiepiscopis, & Cardinalibus: quemadmodum notant Card. Ancha. & Doct.in dict. capi. antiqua. Alij autem Patriarchæ, siue primates nullum in hoc priuilegium habent, sed sedebunt post Cardinales suis in locis, vt et alij prælati, iuxta veterem consuetudinem secundum Aluarot. & Præpo. in cap.j. Episcop. vel Abbat.§.j.colum.v.in feudis, & Chassanæum in Catalogo gloriæ mundi. iiij. parte.consideratione. ix. idē asseuerat ipse Hosti.in dict.cap. antiqua. col.j. Domi. & Præpo.in cap.cleros.xxj.dist.Cardi.de Turre Crema.libr.iij.de ecclesia cap.xxvj. quorū opinio cōmunis est, dum post Romanū Pontificē primum locum cōcedunt Episcopo Hostiensi Cardinali: post eū quatuor Patriarchis, ac statim Cardinalibus tradit idem Domi.in ca.renouātes.xxij.dist.& Fel. in rub.de maiorit.& obediēt. col.ij.

¶ Ex his videtur, quod Cardinales habeant vocem definitiuā in cōcilio vniuersali: & de Cardinalibus Epis-

copis non est controuersia: de Cardinalibus autem, qui Episcopi nō sunt, dubitari solet. Et tandem Cardin. de Turre Cremata in tract. de ecclesia. lib.iij.capi. xiiij. versi. ad sextum. scribit, eos habere in cōcilio vniuersali vocem decisiuam, sicut & eam Episcopi habent. ad huius opinionis probationem adducit eam rationem, qua constat Cardinales maximum officium in ecclesia vniuersali habere, quia adsistunt Papæ totius ecclesiæ principi, & capiti in administratione vniuersalis ecclesiæ: & præterea quia quodammodo Episcopi censentur, & iurisdictionem Episcopalem habent in ecclesijs, quarum titulis eam dignitatē habuerunt, atq; earundem ecclesiarū administrationem. cap. His qui. vbi Panor. hoc notat. de maior. & obedien. Eandem opinionem, quod Cardinales non Episcopi habeant vocē in cōcilio vniuersali probat tex. in cap. ad Apostolicæ. de re iudic. in. vj. & in clem. Pastoralis. eo. tit. Nec dubium videtur hoc quoties Papa præsens foret ipsi concilio: sicuti prædicti text. loquuntur.

¶ Id vero, quod modo diximꝰ de prelatione quatuor Patriarcharum principaliū, ex rigore iuris procedere quibusdā placuit etiam in quatuor alijs Patriarchis: nēpe Aquilegiensi: Bituricensi: Grandensi: & Cantuariensi: vt & hi Cardinalibus præferātur: pro quo facit suprascriptio tex. in ca. constitutis. in primo. de appella. atq; ita tenent Domi. & Præposit. in ca. episcopos. xvij. dist. scribitq; Feli. in dict. rub. de maiorit. & obed. ij. colū. hoc dubiū esse. Sed nihilominus consuetudo Romanæ curiæ iā obtinuit, vt Cardinales præferantur his vltimis quatuor Patriarchis: quod ita asserūt Card. a Turre Crema. in dict. cap. xxvj. & Doct. fere omnes paulo ante citati. Tandem post Cardinales hi quatuor vltimi Patriarchæ cæteris Episcopis, & primatibus sunt præferendi. Primates autē præferuntur Archiepiscopis: quod satis constat ex supradictis, atq; ex Chassanæo in Catalogo gloriæ mundi. iiij. parte. consideratione xix. qua in re, vt & in omnibus alijs cōsuetudo plurimū valet: eaq; seruanda erit: cum de his prælationibus dubium contigerit.

¶ Deinde Archiepiscopi Episcopos præcedere debent, secundū communem Doctorū opinionē. Episcopi vero, & Archiepiscopi vocem habēt in concilio vniuersali non tantū ad consultandū, sed & ad definiendū, quod in pluribus locis iuris Canonici probatur præsertim cap. j. et. ij. xvij. dist. cap. j. & cap. sancta. xv. dist. cap. sexta. xvj. dist. Quibus in locis mentio fit plurium vniuersaliū conciliorum, & ea concilia Episcopis conuocatis, simulq; sententiā dicentibus celebrata fuerunt, ideoq; dicta sunt Episcoporum cōcilia. idem probatur in cap. synodum. xvij. dist. Ex his etenim patet ad cōcilium generale non esse vocandos nisi Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Cardinales, sicuti modo probatū est: idem tenent Bald. in cap. olim. de rescriptis. Innocen. &

Doct. in cap. graue. de præben. Cardi. de Turre Crema. in lib. iij. de ecclesia. cap. xij. idem in cap. generalia. xvij. dist. arti. iiij. Præpo. in cap. canones. xv. dist. Archidi. in cap. statuimus. §. sed hoc intelligendum. j. q. j. Domi. in capit. ad Apostolicæ. de re iud. in. vj. Parnor. in. q. j. nu. xxviij. Florentinus. iij. parte. tit. xxiiij. cap. ij. Archid. & Præposit. in cap. conuenientibus. j. qõ. vij. quorum hæc est cõformis resolutio ita quidem vt ad consultationem alij viri moribus & eruditione insignes vocandi sint.

¶ Post hanc resolutionem a Plerisq; dubitatur, an prælati Episcopis inferiores sint vocandi ad concilium vniuersale, vt vocem habeant in eo definitiuam: Abbates scilicet, priores, & his similes: de quibus sit hæc omnium fere iudicio probata conclusio. Abbates, Priores, aliique prælati Episcopis inferiores non habẽt in vniuersali cõcilio vocem definitiuam, atq; ideo necessario ad id vocãdi non sunt. Hæc sententia probatur multis autoritatibus, & rationibus.

¶ Primum etenim constat, ad concilium prouinciale, quod Metropolitanus congregat, non esse vocandos Abbates, nec alios quam Episcopos: sicuti probatur in cap. Episcopus nõ debet. xviij. distin. tenent Antoni. & Imol. in cap. graue. de præbend. ergo nec ad vniuersale concilium necessario vocandi sunt.

¶ Secundo eadem opinio deducitur ex cap. satis euidenter. xcvj. dist. quo decisum est, non pertinere ecclesiasticorum negotiorum tractatum ad eũ, qui Episcopus nõ sit: tractaturq; ibidem de his, qui sententiam in concilio dicere possunt.

¶ Tertio huic sententie accedit ratio, quæ manifeste dictat, Episcopos tantum, non alios prælatos inferiores necessario vocandos esse ad conciliũ vniuersale. Illi siquidem soli vocandi sunt ad concilium vniuersale qui deliberare debent de rebus, & negotijs ad vniuersam Christianam rempublicam pertinentibus. nam ad hoc synodus vniuersalis conuocatur. hi vero sunt rectores & principes ipsius ecclesiæ Catholicæ: cum ad eos pertineat correctio morum, & reformatio eorum, quæ a diuinis institutionibus deuia sunt: & hi Episcopi censentur, quiq; Apostolis successerunt. cap. ecclesiæ principes. xxxv. dist. & psal. xliiij. Cõstitues eos principes super omnem terram.

¶ Quarto quoties causa, aut negotiũ vniuersitatis agendũ est, atq; difficillima peneq; impossibilis apparet eius cõgregatio: tũc principes vniuersitatis vocãdi sunt, & ad eos pertinet cura totius cõmunitatis: quemadmodũ cõstat in rub. Quod cuiusq; vniuersitatis nomine, & de his, que tũc a maio. part. capituli. l. quod maior. ff. ad municipa. Nec vnq; ab initio mũdi vlla respublica hoc institutũ abiecit, aut improbauit: imo receptissimum fuit, qd' cura totius plebis, ac vniuersæ reipublicæ penes paucos, eosq; iudicio, & sciẽtia principes versaretur. At in republica Christiana Epi hũc

locũ obtinent, pátresq; vocãtur. cap. canones. xv. dist. capi. accusatio. ij. q. vij. Ergo Epi tantũ necessario vocãdi sunt ad vniuersalis ecclesiæ negotia in vniuersali cõcilio examinanda, deliberanda, & definienda.

¶ Quinto præcipue isthæc opinio probatur: quia ad cõciliũ vniuersale tantũ illi vocãdi sunt, quibus a Christo data est potestas iudiciaria in reb⁹ ad ecclesiã pertinẽtibus: siquidẽ conciliũ vniuersale nõ ad aliud congregatur, quã vt de negotijs arduis religionis Christianæ iudicetur. Hæc autẽ potestas solũ data est Episcopis Apostolorũ successoribus. capi. in nouo. xxj. dist. Matthęi. xviij. quæcũq; inquit Iesus, ligaueritis super terrã ligata erũt & in cœlis. Igitur Episcopi tãtum ad vniuersale concilium sunt vocandi, non alij prælati inferiores.

¶ Sexto eadem sententia constat ab absurdis, & inconuenientibus, quæ sequerentur, si prælati inferiores Episcopis essent vocandi necessario ad synodum vniuersalẽ, vt in ea haberent vocem definitiuam. Primo quidem sequeretur quod eis nõ vocatis quidquid in concilio decerneretur nullum omnino foret: conciliumq; ipsum nõ esset legitime cõgregatum, nec repræsentaret ecclesiam vniuersalem: quod falsum est, nec vnquam ab initio ecclesiæ post legem Euangelicã legitur, prælatos Episcopis inferiores vocatos fuisse ad illa concilia vniuersalia, quæ maximum semper nomen inter alia apud Catholicos habuerunt: & præterea si prælati inferiores vocandi forent ad concilium vniuersale, & vocem definitiuam haberent, maxima contingeret confusio, & sententia inferiorum prælatorum sæpissime, cum sint numero plures, præualeret iudicio Episcoporum: quod satis alienum esset ab vtilitate reipublicæ Christianæ: atq; a diuina institutione secũdum quam Episcoporum iudicio totius Christianæ religionis cura commissa est. Ex quibus hæc opinio verissima censetur ab his, qui modo citati fuerunt ad præcedentem conclusionem: & Domini. in capitulo primo & capitul. regula. xvij. distinctione.

¶ Hinc patet, Abbates non esse vocandos ad concilium vniuersale, vt vocem habeant decisiuam secundum omnes: quorum opinionem procedere in Abbatibus simplicibus, non in habentibus quasi Episcopalem iurisdictionem existimat Abb. in dict. quæstio. prima numero. xxviij. facit optimus text. iuncta gloss. ibi. verb. proprij in cle. j. de reb. eccles. nõ alie. & in cap. Abbates. de priuile. in. vj. cap. vlt. de regulanb. cle. j. & ibi glo. de rescript. Qua ratione essent vocandi ad concilium vniuersale omnes prælati, Priores, Archidiaconi, & alij quicunq; habentes Episcopalem iurisdictionem. Quod dubium est: quia etiam si Abbates, & alij inferiores prælati habeant Episcopalem iurisdictionem: non tamen habent Episcopalem dignitatem, nec Apostolis successerũt: sicut Episcopi. Vnde omnino dicendũ est, ad conciliũ vniuer-

sale non esse vocandos Abbates etiã si hi habeant Episcopalem iurisdictionem, vt vocem habeant definientem. Atq; ita hactenus seruatum fuisse in conuocandis conciliis vniuersalibus constat ex testimonio autorum, qui hac de re tractauerunt. Quod si appareat in aliquo concililio vniuersali Abbates vocem habuisse definitiuã, quemadmodum probatur in cap cõuenientibus.j.qõ.vij. id procedit ob specialem Papæ delegationem: Nam eos Papa legatos sedis Apostolicæ constituit, vel vocati fuere Abbates quandoq; non ad definiẽdum, sed ad consultationẽ: sicuti viri docti, & eruditione præstantes vocari solent ad concilium. sic etenim procedit text. in capi. Hadrianus.in.ij.lxiij.distin.

¶Consuetudo tamen induxit, quod ad concilia generalia vocentur, & vocem habeant definitiuam ministri generales ordinum religiosorum, vt refertur in libro Ceremoniali in rubri. qui habeant vocem deliberatiuam in conciliis vniuersalibus, & testatur Card. Iacobati.de concilio lib.ij.art. ij. tametsi de iure hoc sit satis ambiguum ex his, quę superius scripta fuerunt. Nam & in concilio Chalcedonensi cum Abbas quidam esset requisitus, vt subscriberet actiõibus Ephesinæ synodi, respondit: Non est meũ subscribere: Episcoporum tantũ est: quod constat ex prima concilij Chalcedonensis actione, & refert Cardi. a Turre Cremat. lib. tertio. de ecclesia. capitul. xij.

¶Episcopi ergo necessario vocandi sunt ad synodũ non, tantum qui consecrati sunt, sed & electi, ac confirmati nondum tamen consecrati: quia hi iurisdictionem habent, & administrare possunt. cap. transmissam. de electione. Cardi. in clem. vnica. q.v. de foro compet. vbi gl. verb. Episcopis. notat, in pertinentibus ad iurisdictionem electum & confirmatum non tamen consecratum Episcopum dici, quamuis secus sit in his, quæ ordinẽ Episcopalem requirunt, idem notant Abb. Imol. & Docto. ibi Barb. in cap. Ioannes. vij. colũ. de testament. late Felin in capit. eam te. de rescript. colum. j. Nam & electus, ac confirmatus nondum consecratus conferre potest beneficia ecclesiastica propriæ diocecesis, secundum Abb. in dicto capit. transmissam. cuius opinio est communis. Imo poterit ante consecrationem electus, & confirmatus indulgẽtias cõcedere: vt tenent Abb. in cap. accedentibus. de excessib. prælat. idem Abb. in capit. suffraganeis. de electio. Feli. in dicto. capitul. eam te, col. iiij. idem Feli. in tract. de indulgentijs. col. vlt. dicens hanc opinionẽ cõmunẽ esse, quãuis Iason in. l. ij. C. de inoff. testa. inaduertenter contrarium scripserit. Etenim cõferre indulgentias ad iurisdictionem pertinet, non ad ordinem Episcopalem sicuti docent Thom. in. iiij. sent. dist. xx. q. j. art. iiij. & Card. Caieta. in tract. de indulgẽtijs cap. ij. & cap. v. Igitur ex premissis colligitur, Epos electos, & cõfirmatos, nondũ tamen cõsecratos vocãdos fore ad vniuersale cõcilium, 4

& in eo vocem habere definitiuā ad omnium dubitationum decisionem.

¶Quid autē dicēdum erit de Epis, qui titulū tantum habēt, & ordinem Episcopalē, non tamē habent aliquā dioecesim sibi subditā: vel ex eo quod eius Episcopatus sit ab infidelibus occupatus, vel quia Papa eū fecit, ac cōstituit Episcopū nomine tantū, & ordine? Nā videtur hūc Episcopū vocandū esse necessario ad conciliū, & in eo admittendū ad vocem definitiuam. Quia hic actus pronūciandi et dandi vocē in vniuersali concilio nō pertinet tantū ad Episcopos habētes actu iurisdictionē, & subditos, sed ad dignitatē Episcopalē: vt constat, si recte examinentur, quæ superius tradita sunt. Episcopi vero isti, de quibus agimus, dignitatē habent Episcopalem. clem. in plerisq; de electio. notāt Hosti. & Cardi. in cap. inter corporalia. de transf. episco. vel electi. Antoni. in cap. j. de ordinat. ab Episco. qui renūciauit Episco. Quamobrē Card. Iacobati. in tract. de concilio. lib. ij. arti. ij. tenet expresse hanc opinionem quod Episcopi isti sint vocādi ad concilium, & admittendi, vt habeant vocem definitiuā. Nos tamen hac in quęstione dubitamus: quia isti Episcopi non habent iurisdictionē, ad quam expectat prædicta definitiua vox in concilijs vniuersalibus dāda secundum Abb. in disputatione. l. incipienti: Episcopus. nu. xxviij. & Præpo. in capit. Episcopos. xvij. dist. & in cap. canones. xv. dis. Quā quidem iurisdictionem non habent Episcopi, qui nomine, & ordine tantum Episcopalē dignitatē habent, vt probatur in dicto capi. j. de ordinat. ab episco. Quemadmodū & Episcopi, qui renūciauerunt Episcopatib⁹, idest locis, in quibus dignitatē habebant Episcopalē: sicuti in dict. cap. j. notatur a doctorib⁹. Vnde fortassis Episcopi, de quibus quæstio ista tractatur, non erunt necessario vocandi ad conciliū, nec admittendi ad vocem definitiuā: nisi quis dixerit, Episcopos, quorū Episcopatus occupantur ab infidelibus, iurisdictionem habere in habitu, licet actu iurisdictionis careant. cap. j. de præscri. cap. j. de parrochijs: vel plane contendat quispiā vocem definitiuā in vniuersali concilio ita ad iurisdictionē pertinere qđ simul ad Episcopalē dignitatem pertineat: sic sane vt Episcopus habens iurisdictionē actu, vel habitu, aut dignitatē ordinis Episcopalis vocādus sit ad concilium, & admittendus ad vocem definitiuā. Nihilominus honestum, & vtile censemus quod hi Episcopi admittantur: non tamē opinamur acta concilij fore nulla etiā si admissi non fuerint.

¶Hi vero, quibus ecclesiæ Cathedrales, & Episcopales fuerint a Summo Pontifice commendatæ, cum possint ea exercere, quæ poterat Episcopus electus nondū confirmatus. cap. xv. cui. de elect. in. vj. vocādi sunt ad cōciliū vniuersale, & in eo vocē habere debent definitiuā. Quod ꝓbari videtur, quia Cōmēda titul⁹ est. gl. in ca. nemo. de elect. in. vj. quam Feli. cō-

mēdat in capi.cum olim.de maiorit. & obedi.col. iiij. Sed quia hæc ratio procedit in Commenda perpetua, & ea,quæ ad vitam, & vtilitatem Commendatarij fit, quemadmodum dicta gloss.communiter intelligitur, nobis visum est, tunc demum ad concilium vniuersale, & ad vocem definitiuam esse vocandos habentes Episcopales ecclesias cōmendatas, cum eas habeāt in Commēdam perpetuam, & sic in titulum quendam Episcapalis dignitatis. Illi autem,quibus simpliciter ecclesiæ Episcopales cōmendantur,nō habent titulum quasi dignitatis Episcopalis,sed sunt administratores Episcopatuum: sicuti & capitula vacante sede habent eandem administrationem. Hoc ipsum magis aperte cōstat ex distinctione Panor. in capitu. Si constiterit.de accusat.quem sequuntur Doct.ibi magis communiter excepto Aretino. Nam scribit Panor. Commēdam alicuius ecclesiæ factā simpliciter,posse reuocari ad libitum, & voluntatem Cōmendantis:& Cōmendatarium non dici vere prælatum ,sed tantum administratorem. gloss.in dicto.capitul. Si constiterit. glos.in cap.qui plures.xxj.q.j.At si ecclesia commendata fuerit alicui ad tempus certum, & idem si ad vitam Commendatarij,ea commendatio reuocari non poterit ad libitum commendantis, secundum Abb. & communem:quam distinctionē etiam sequi videtur Roma. in consilio. cccl. Hinc ergo iuri, & rationi consonum est, habētes Episcopales ecclesias ī Cōmendam simplicem iure cuiusdā administrationis potius,quam tituli & dignitatis Episcopalis, non esse vocādos ad vniuersale cōcilium, nec in eo vocem decisiuam habituros.

¶Hinc etiam deducim⁹, capitula Cathedralium ecclesiarum non esse vocanda ad concilia vniuersalia: nec eorum legatos,aut procuratores admittendos esse ad vocē definitiuam, etiā ecclesia Episcopali vacante. Nam capitula non habent dignitatem Episcopalem: licet quandoq; habeant Episcopalem iurisdictionem.

¶Item illud constat, Protonotarios Apostolicos non esse vocandos, nec admittendos in cōcilio vniuersali ad vocem definitiuam:quia licet dignitatem habeant in curia Romani Pontificis multis ornatam priuilegijs,vestibusq; vtantur Episcopalibus:non tamen habent ordinem Episcopalē,nec dignitatem eandem, quam Episcopi in ecclesia Catholica obtinuerūt semper, & modo obtinent:licet Card. Iacobatius in tracta. de concilio lib. ij. arti. ij.contrarium obiter voluerit,cū tamen ipse prius de hac quęstione dubitauerit lib. j.in quæstione de ordine sedendi in concilio.

¶ Vltimo quo ad huius capitis perfectam resolutionem illud est considerandum, quod vox deliberatiua, & definitiua in concilijs vniuersalibus proprie cōuenit Papę, eiusq; legatis Cardinalibus, & Episcopis ratiōe dignitatis Episcopalis : q in hoc capite satis probatū est. Atq; ideo etiā si vnus, & idem Episcopus habeat duas ecclesias

Cathedrales, vel simul vnitas.cap.j. ne sede vacante, & ibi glos.capit.sicut vnire. de excessib. prælat. vel vnam iure proprio, & titulo Episcopi, alteram commendatam, capi.pastoralis. vij.q.j.hic inquã Episcopus in concilio vniuersali vnam tantum habebit vocem definitiuam, non duas. Siquidem vox definitiua in concilio vniuersali non datur, nec competit Episcopis ratione ecclesiarum, sed ratione dignitatis Episcopalis, quæ vnica tantũ est in vna, & eadem persona, non plures. Sic etiamsi Cardinalis non Episcopus vocem habeat definitiuam in concilio, tamen ei competit, quia repræsentat dignitatem quodammodo Episcopalem, vnde quamuis aliquis sit simul Cardinalis, & Episcop9 vnicam tantum vocem habebit: cum is vnicam tantum dignitatem Episcopalem repræsentet. Atq; ita in concilijs vniuersalibus hactenus celebratis consuetudo obtinuit: nec vsquam legitur eundem Episcopum iure proprio duas voces habuisse ratione duarum Episcopalium ecclesiarum, quibus præfectus fuerit.

Summa capitis Septimi.

1 *An sit omnino, & præcise necessarium ad substantiam concilij vniuersalis, quod omnes, & singuli vniuersi orbis Episcopi vocentur?*

2 *Bulla indictionis, & conuocationis concilij Tridentini à Paulo Tertio Decreta.*

3 *An sit sufficiens vocatio generalis Episcoporũ per edictum Romæ publicè affixũ facta, & in fine cap.*

4 *Congruum esse, quòd saltem Archiepiscopi admoneãtur specialiter à Papa, vt suffraganeos vocent ad vniuersalem synodum.*

Quo nam modo Episcopi vniuersi orbis vocandi sint ad vniuersale concilium.

¶CAPVT SEPTIMVM.

SI ea, quę superius dicta sunt diligenter considerẽtur, plane constabit, conciliũ vniuersale conuocãdũ esse, vt simul cõgregentur in vnum locum totius ecclesiæ vniuersalis Episcopi. Et tamen dubitatur, an necessario sint ad concilium hoc vocandi Episcopi ex vniuerso orbe: nempe ab Indiarum prouincijs, tam orientalibus, quam occidentalibus, & his quæ ad meridiem sunt? Nam & hos Episcopos, qui in his prouincijs Christi legem Euãgelizantes curam religionis Catholicæ habent, vocandos esse, pluribus probari poterit, Etenim ipsius concilij vniuersalis nomen hoc insinuat: dum vniuersi orbis ecclesiæ congregationem exigere videtur: sunt etenim in concilio tractãda negotia pertinentia ad vniuersum orbem. Atq; ideo maxime conuenit totius orbis Episcopos ad id vocari.l. nam ita diuus.ff.de adoptio.l.vlt.C.de autori. prẽstãda.ca.si Archiepiscopus.lxvj. dist.optimus.tex.in ca.sicut.xv.dis. cap.habeo librum.cap. sancta.capit.

ſexta.xvj.diſt. in quibus locis mẽtio fit conciliorum vniuerſalium eo quidem modo, vt videantur ex vniuerſi orbis Epiſcopis cõgregata fuiſſe. Deinde hoc ratione verum eſſe apparet, ſi à parte ad totum argumentemur.l. quæ de tota.ff.de rei vendi.ad ſynodum etenim Prouincialem vocandi ſunt,& admittendi omnes totius prouinciæ Epiſcopi nemine prætermiſſo.cap.cum longe.lxiij.diſtinc. cum alijs pluribus,quæ idem probant:ergo & concilium vniuerſale conuocãdum erit ex omnibus totius vniuerſi orbis Epiſcopis. Poſtremo conciliũ vniuerſale repræſentat eccleſiam vniuerſalem. cap.confidimus. xxv.q.j. cap.ſicut. paulo ante citatum.xv. diſtin. Igitur ad id vocandi ſunt totius, & vniuerſi orbis Epiſcopi,vt dicatur legitime congregatum: & ne cenſeatur concilium quaſi prouinciale, aut medium inter concilium prouinciale,& vniuerſale: de quibus, & eorum diſtinctione diximus in capi.j. huius operis. Cõtraria opinio probabilior cenſetur quorumdam iudicio ex eo, quod in illis octo vniuerſalibus concilijs, quæ præcipua exiſtimantur in eccleſia vniuerſali,nec fuere vocati vniuerſi orbis Epiſcopi, nec ipſis ſynodis præſentes fuerunt: ſicuti apparet in cap.canones.cum ſequẽtibus.xv. diſt.cap.ſexta.& ſequẽti.xvj.diſtin. Item ratio difficultatis, ac pene impoſſibilitatis manifeſte ſuadet,non eſſe neceſſarium, quod ad vniuerſale concilium vocentur vniuerſi orbis Epiſcopi:præſertim quia daretur cauſa, ſeu occaſio maximæ confuſioni, quo ad deciſionẽ dubiorum, quæ potiſsimũ exigunt certitudinem, cum ad fidem Catholicam pertineãt. Nam quoties poſtulãte Chriſtianæ reipublicæ vtilitate concilium vniuerſale indicitur, & iã habito conſenſu Papæ & Chriſtianorum Principum vnanimi voluntate conuocatur:ſi ab Indiarũ partibus forent vocandi Epiſcopi, etiam ſi vocatiõis huius nullum foret aliud impedimentum,quam itineris longitudo,profecto multa interim contingerent, quæ rem iſtam multis nominibus religioni neceſſariam impedirent: vocatiq; Epiſcopi nec poſſent ad ſynodum accedere, ſæpiſsimeq; itinerum laborem capeſſentes minime oportune venirẽt,& fruſtrati in proprias prouincias, quas maximo cum periculo reliquerũt, grauiſsimo labore redirent. Quibus ex cauſis dubia redditur opinio prior.

¶ Ad huius vero difficultatis ſolutionem præmittendum eſt, Romanum Pontificem quandoq; conuocare, & conuocaſſe concilium generale quidẽ ratione autoritatis,& rerum in eo tractandarum: non tamen ratione perſonarum vniuerſale. Nam Romanus Pontifex videns quã difficile ſit,Epiſcopos totius orbis cõgregari in vnũ, & eundem locum ad ſedandas hæreſes,& alia ſcandala in Chriſtiana religione contingentia, vocat Epiſcopos Romę propinquos, vt cum eis deliberet,tractet,& conſultet, quid agendum in eo diſcrimine ſit: atq; hac de cauſa conciliũ celebrat, cuius decreta, & defi-

& definitiones esse vult vniuersales, & generales, ac si ab omniū Episcoporū cōuētu forēt edita. Hoc denicp concilium non est proprie vniuersale, nec prouinciale: sed medium, quem admodum probauimus in cap. j. huius libri. Nec adhoc concilium vocātur totius orbis Episcopi: nec pluriū prouinciarum: sed tantum Episcopi vicini Romano Pōtifici, qui cum eis vult aliquot ardua negotia expedire. capit. Guilisarius. xxiij. q. iiij. capitu. nunc autem. xxij. distinct. cap. in synodo. lxiij. distinctione.

¶ Aliud est concilium vere vniuersale, quod conuocandum est ex totius vniuersi orbis Episcopis. Siquidem ante Nicænam synodum iuxta communem sententiam, quæ probatur in cap. j. xv. distinct. etiam si plura fuerint celebrata concilia, ea tamen non fuere vniuersalia: quia Christianorū Præsules, & Episcopi ob tyrannorū iniurias, & metum non audebant in vnum, & eundem locum simul cōuenire de rebus fidei tractaturi. At post eam synodum, & nūc possunt Christiani orbis Episcopi vocari libere, in eundemcp locum conuenire: idcirco vniuersalia cōcilia sæpe celebrata sūt, vocatis vniuersi orbis Christiani Episcopis. Hæc vero vocatio non ita stricte adsumenda est, vt opinemur, concilium vniuersale non posse congregari, nec dici concilium generale totius ecclesię, si omnes Episcopi Christiani orbis, & eorum quilibet vocatus specialiter nō fuerit. Hoc etenim fallum est; nec adeo rigorosa, & specialis vocatio requiritur, vt statim negetur synodi vniuersalis potestas, si vocatio Episcoporum omnium vniuersi quidem orbis facta non fuerit. Quamobrem de citatione, quæ præmitti debet ad vniuersale concilium paucis hoc in capite agendum erit.

¶ Primum equidem summus Pontifex hac re in summo eius p̄torio examinata, habito cōuentu Reuerendissimorum Cardinalium, eorumcp consilio decernit generale, & vniuersale conciliū conuocandū fore ad vtilitatem maximā reipublicæ Christianę: & iubet Bullam, aut Decretū ipsum indictionis publicę legi in ecclesijs, & Basilicis Apostolorū principis Petri, & sancti Ioannis Lateranēsis, atcp in Apostolica Cancellaria, & in acie Campi Floræ: in eisdēcp locis publice affigi. Bullæ autem huius indictionis tenor varijs modis pro arbitrio 2 Pontificū cōcipitur: sed tamen hic adscribemus eam, quā Paulus Tertius pro cōuocando concilio Tridentino publice legi, & affigi iussit.

S. D. N. D. Pauli diuina prouidēcia Papæ. III. Bulla Sacri oecumenici, & generalis concilij celebrandi, seu prosequēdi cum reuocatione suspensiōis alias ad tempus per S. suam declarandam factæ.

¶ Paulus Episcopus seruus seruorū Dei ad futuram rei memoriam. Lætare Hierusalem, & conuentum facite

omnes, qui diligitis eam: gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis, vt sugatis, & satiemini ab vberibus consolationis eius. Licet Prophetæ verbis in hac nostra ingenti, cumulataq; lætitia, quam de conciliata nuper inter Charissimos ĩ Christo filios nostros Carolum Romanorum Imperatorẽ semper Augustum, & Franciscum Gallorum Regem Christianissimũ, pace concordiaq; cõcepimus: omnes, qui diligunt eam frequentes ad concilium conuocare, vt secundum Prophetæ promissionem satietur ab vberibus consolationis eius. Et si enim non dubitamus, hunc sanctissimæ pacis nuntium omnium animos, qui rẽ publicam Christianã saluam cupiũt, ingenti gaudio exhilarasse: ea tamen res hoc nobis maiorem lætitiam attulit, quo magis per tot annos in hoc negotio componendarum controuersiarum inter hos principes laborauim⁹, & in eo præcipuam curam adhibuimus. Nam cũ iam inde ab initio nostri Pontificatus Magno cum animi dolore prospiceremus quæ mala ex intestinis Christianorum Bellis euenirent: quantus religionis cõtemptus in dies cresceret: nec contemptus solum, sed tot præterea in ea dissentiones, tam variæ opiniões, & sectæ per omnes pene prouincias Christiani orbis, cum incredibili animarũ iactura, spargerentur, quãq; cõmunis Christiani nominis hostis Turcarum tyrannus, hac potissimũ occasione arrepta, viribus quotidie augeretur, ita vt propagatis finibus suis magnam iam Imperij Christiani partem occuparit id semper omni in primis conatu incũbuimus, atq; intenti fuimus, vt pacis concilia inter hos duos potentissimos principes, qui secum reliquam fere orbis Christiani partem trahebãt, agitaremus. Nec vero hac sola pacis tractatione contenti fuimus: sed simul cum videremus discordias in regione subortas, nõ alio facilius remedio, quã œcumenico concilio posse sedari, & ad sanam cõcordiam perduci: semper quidem concilij celebrationem cũ pacis negotio cõiunximus. Nec vnquã sane destitim⁹, cum hortãdo, tum monendo principum animos ad hæc cõiunctim excitare. Quorum in altero ita fuimus assidui, & vehementes, vt neq; literis, nec nuntijs, quos frequenter hac de causa ad vtrũq; missimus, nec legatis e latere nostro profectis, nec demum nobis ipsis pepercerim⁹. In altero vero sic omnes difficultates superare conati sumus, vt conciliũ semel atq; iterum Mantuæ primũ, ac deinde Vincentiæ indictum, haberi his de causis, quas per alias nostras literas tunc deinceps datas significauimus, non posset. Tamen nullo impedimento, nulla ratione abduci nos a proposito nostro, in tam sancto opere prosequendo, passi sumus: sed semper magna spe insistentes alio loco inuento ad vnũ concilij celebrandi finẽ per multas difficultates licet contẽderimus: donec (sicut altissimo placuit) hic lętissimus dies illuxit, quo diuino cõcilio, ac beneficio pace facta, erigi in magnã spem omnes decet, vt reipubli

cæ Christianæ res, quæ per bella attritæ, diuulsæ, ac omnibus prope modis afflictæ erant, per concordiã iam curentur, & instaurẽtur. Quare huc statim hoc nuntio accepto, omnia nostra cõsilia direximus, partim institutum nostrum in eo sequentes, qui ob hanc præcipue causam pacem semper optauimus, & quo ad potuimus, procurauimus: partim consiliũ prophetæ, qui cum nos ad inquirendam pacem hortaretur, statim adiunxit: Et persequere eam. Nec vero nos posse melius vias pacis persequi, quam per portam concilij, nobis certo persuademus. Itaq; cum superiore anno oecumenicum, & vniuersale conciliũ per nostras literas datas Romæ vndecimo Calendas Iunij anno in carnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Tridenti vltimo loco conuocassemus, & ad eam ciuitatem statuto tẽpore tres nostros, & Apostolicæ sedis legatos, etiã destinassemus, qui Episcopos, & cæteros prælatos ad ipsum conciliũ venientes exciperent: ac reliqua, quæ ad ipsius concilij celebrationem necessaria, seu oportuna forent, curarent. Cũ q; hi in ea ciuitate septẽ prope menses expectando fere soli permansissent, paucis admodum cõparentibus, propterea quod alij bellorum, alij itinerũ pericula, alij alia impedimenta pro eorum excusatione afferrẽt: inuiti tũc nos quidem, sed paterno tamẽ animo, prælatorum conscientijs consulẽtes, & difficultatibus temporum cedẽtes necessario inchoationem ipsam concilij distulimus, & in aliud oportunius & cõmodius tempus per nos declarã dũ suspẽdimus: datis de ea re literis Bononiæ pridie nonas Iulij anno incarnatiõis Dñicæ Millesimo Quingẽtesimo Quadragesimo tertio. Nõ cessantes interim neque precibus ad Deũ porrectis, nec iterata missione legatorũ nostrorũ paci ipsi, vt semper feceramus, studere. Postquam autem misericors Deus sua ineffabili pietate & clementia nostras, & ecclesiæ suæ preces exaudire, & pacis donũ nobis gratissimũ, atq; optatissimũ largiri dignatus est: quo dono, præter cætera sublata incõmoda, concilij quoq; impedimenta remota sunt: vt diuinæ eius maiestati pro tali, ac tanto beneficio ingẽtes gratias habuimus, & habemus. Ita etiam cunctandũ non sumus rati, quin ad tollendam concilij suspensionẽ properaremus, sperantes cum Dei gratia, omnes iam, qui concilio ipsi interesse debẽt, prompte ad locum destinatos accessuros, & operã pro se quosq; daturos: primũ, vt discordiæ in rebus religionis, quibus ecclesiæ vnitas misere in partes scinditur, penitus tollantur, & oues errãtes ad ouile Dominicũ reducãtur. Deinde, vt ea, quæ in populo Christiano reformatiõe indigent, reformentur, et in meliorẽ formã restituãtur. Postremo vero, vt cõmuni omnium cõsilio, atq; auxilio aliqua expeditio decernatur, qua & ea fidelibus, quæ ab infidelibus occupata sunt, & tot millia animarum, quæ sub eorũ iugo quotidie miserabiliter pereunt, liberẽtur, ac ser-

uentur. Quorum trium capitũ cau‑ſa concilium maxime eſſe neceſſariũ ſemper duximus. Igitur cum impedimenta, quæ concilij celebrationẽ antea retardare ſolebant, ſublata ſint, & bonam ſpem habeamus, quod tam ipſi Sereniſsimus Imperator, & Chriſtianiſsimus Rex, quã ceteri Chriſtiani Reges, et principes, vel perſõ. huic ſanctæ celebrationi ſint affuturi, vel ſaltem graues viros eorũ legatos miſſuri, habita ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus matura deliberatione, de eorum cõſilio, & aſſenſu ſuſpenſionem prædictam per nos, vt præfertur, factam, Apoſtolica autoritate tenore præſentium tollimus, & remouemus, ſublatamq́; ac remotam eſſe declaram⁹. Omnes omnib⁹ ex locis tam venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, et Epiſcopos, quam dilectos filios Abbates, & alios quoſcunq́;, quibus iure, aut priuilegio in concilijs generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt, requirentes, hortantes, & admonentes: vt ad Dominicam quartam in quadrageſima proxime futura, quam tanquã diem lætitiæ ad proſequendum ipſum cõciliũ deputamus, ſub periurij, & alijs tunc in literis indictionis expreſsis pœnis, perſonaliter, niſi forte iuſto detineantur impedimẽto, de quo fidẽ facere teneantur, aut eo caſu per ſuos legitimos nũtios, & procuratores proſequutioni celebrationis ipſius concilij, iam tunc faciendæ omnino adeſſe, & intereſſe velint. Supradictos autẽ Carolum Imperatorem, & Franciſcum Regem, nec non cæteros Reges, Duces, & Principes, quorum præſentiam hoc pacis tempore orthodoxæ fidei, & Chriſtianorũ ſaluti vtilem fore ſperandũ eſt, rogamus, et in Domino obſecramus, quatenus ipſi perſonaliter, quod valde cupimus, alioqui per oratores ſuos idoneos, huic ſacro concilio adeſſe, & vſq; ad optatum illius finem aſsiſtere, & fauere velint, quo tutius, & liberius quæ ad tollenda in religione diſsidia, & ad reformãdos Chriſtiani populi mores, nec nõ ad ſuſcipiendã ſub Sanctiſsimo Crucis ſigno contra infideles expeditionẽ pertineãt, Deo bene iuuante in dicto concilio conſuli, & tractari, ac demũ confici, & ad optatum exitum perduci poſsint. Nos enim vt p̃miſſa omnia ad eorum, quorum intereſt, notitiam deducantur, nulluſq; de eis ignorantiam iuſte prætendere poſsit, aut ſe legitime excuſare: volumus, & dicta Apoſtolica autoritate decernim⁹ quod præſentes literæ per aliquos curiæ noſtræ curſores, vel notarios publicos, in Baſilica Principis Apoſtolorum de vrbe, & eccleſia Lateranenſi, dum inibi multitudo populi ad diuina audiẽda conuenerit, palam, & clara voce legantur: & lectæ in earundẽ Baſilicæ, & eccleſiæ, ac Cancellariæ Apoſtolicæ valuis, nec non in Acie Campi Flore affigãtur, vbi ad lectionem, & notitiam cunctorum aliquãdiu affixæ pendeant: & cũ inde amouebuntur, earum exempla in eiſdẽ lo‑

cis remaneant affixa. Quodq̧ earū trasumptis manu notarij publici sub scriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ mu nitis certa & indubitata fides adhibea tur, prout præsentibus literis adhibe retur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo hominum liceat, hanc pa ginam nostræ declarationis, requisi tionis, admonitionis, rogationis, obse crationis, Decreti, & volūtatis infrin gere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attēptare præsum pserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorū Petri, & Pauli Apo stolorum eius se nouerit incursurū. Datum Romę apud sanctum Petrū Anno incarnatiōis Dominicæ Mil lesimo quingentesimo quadragesimo quarto. tertio Calendas Decembris Pōtificatus nostri Anno vndecimo.

Blo. EL. Fulgin.
B. Motta.

¶Anno a Natiuitate Domini Mil lesimo quingentesimo quadragesimo quarto indictione secūda, die vero tri cesima, & vltima Mensis Nouēbris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & domini Pauli diuina proui dentia Papæ tertij Anno eius vndeci mo, retroscriptæ literæ indictionis, intimationis conuocatiōis, & obsecra tionis concilij generalis palam publi ce, alta, clara, & intelligibili voce in Basilica Principis Apostolorum de vrbe, dum ibi diuina officia de mane celebrabantur, & magna populi mul titudo congregata esset, de verbo ad uerbum per me Ioannem Roillard, præfati Sāctissimi domini nostri Pa pæ cursorem lectæ, & deinde affixæ, & publicatæ fuerunt & successiue ea dem die in ecclesia sancti Ioannis La teranensis etiam de verbo ad verbum similiter hora vesperorū per me eun dem Ioannem lectæ, affixæ, & publi catæ fuerunt. Et postmodum eadem die affixæ, & publicatæ fuerūt in va luis, seu portis Cancellariæ Aposto licæ, & in acie Campi Floræ, dimissis in supradictis locis per aliquod tem poris spacium affixis, & deinde amo tis, copiam earundem literarū in quo libet loco supradicto affigendo, & di mittendo per nos Petrum Gomez, & Ioannem Roillard prælibati San ctissimi dñi nostri Papæ cursores.

Ita est, Petrus Gomez cursor.
Ita est, Ioannes Roillard. cursor.
Ita est, Theobaldus Tallart Ma gister cursorum.

Georgius de itinere curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Notarius de mandato.

Et est sigillatum in fine sigillo Rotundo cera rubea.

¶Sic etenim a Paulo Tertio indictū fuit conciliū Tridentinum. Quam quidē indictionē, & publicationē, nā hac ratione eam hic adscripsimus, qui dam existimāt sufficere, vt omnes, & totius vniuersi orbis Episcopi ad cō

cilium vniuersale, legitime vocari, & citati esse censeantur: nec requiratur alia specialis eorum vocatio. Hanc opinionem tenet Antoni. de Rosellis in tract. de concilijs. q. v. alleg. ius Io. Andre. in capi. quoniam frequenter. §. porro. vt lit. non cōtest. atq; ita cēset, hanc publicationem concilij, eius indictionem, & vocationem factam ex speciali Papæ iussione, per edictū inquā affixum, & lectum publicis in locis Romæ ab ipso Summo Pontifice nominatis sufficere, vt vocatio legitima sit. Hec vero opinio dubia potissime videtur. Quia Ioan. Andre. non loquitur in hoc casu nec in similibus: sed in quibusdam casibus specialibus, quibus potest Romanus Pōtifex quemquā citare per edictum publicis in locis Romanæ curiæ lectū, & affixum: cum alioqui regula iuris personalem citationē requirat. l. j. ff. de liberis agnoscend. l. iiij. ff. de dāno infect. l. dolum. ff. de eo, per quem factum erit. cap. causamq;. de dolo, & contu. ca. j. qui matri. accus. poss. Casus autem speciales constituūtur: primus in processibus generalibus, quos Papa consueuit facere in diebus solennibus: nēpe in die Iouis sancti, aduersus Piratas, Falsarios literarum Apostolicarum, & alios, qui in Bulla Cœnæ domini continentur. tex. vbi. glo. in cle. j. de iudic. verb. generales. Secūdus: vbi citandus est in loco non tuto, nec libero, vt ad eum commode citatio deferri possit. Etenim in hoc casu sufficit citatio per edictum lectum & affixum in locis publicis curię Romanæ. Tertius casus, quādo ipse, qui vocandus est, dolo facit, quominus citatio possit ad ipsum peruenire, vel citari valeat personaliter. Nam in his tribus casibus princeps poterit ex certa scientia quempiam citare per edictum: eaq; citatio regulariter eundē effectum habebit, quem haberet, si personaliter facta foret. tex. in dict. cle. j. de iudic. & in extrauag. rem non nouam. De dolo. & cont.

¶ Sed certe iuxta hanc resolutionem constat, hoc esse speciale in Principe. quod tamē falsum videtur: quia etiā inferior iudex pōt in prædictis duobus posterioribus Casibus per edictum citare. Nam vbi constat de malicia citandi, & quod is impediat, ne citatio ad eum perueniat, ꝓfecto absq; vllo edicto pro citato habetur. Bart. in extrauag. ad reprimendum. verb. per edictum. glos. in. l. contumacia. ff. de re iudicat. Alexand. in. l. properandum. §. sin autem reus. conclusione. v. C. de iudic. Abb. & ibi Barbat. num. xxv. in dict. cap. quoniam frequenter. §. porro. idem Abb. in cap. ex tuæ. num. xij. de cleri. non resid. l. si dictum. §. si præsentes. ff. de euicti. l. j. §. Aristo. ff. quod vi, aut clā. Aut non apparet de malitia citandi, nec de eius dolo, locus tamen vbi habitat, & commoratur, tutus non est, nec ad eū patet cōmoda, aut secura accessio: & tunc edictum ipsum citationis mitti debet per inferiorem ad loca vicina ipsi oppido, in quo habitat citādus, atq; publice affigendum est, quemadmodum Bart. explicat in dict. extrauag.

ad reprimendum.verb.edictum.quē alij communiter sequuntur. Igitur si inferior a Principe potest per edictū citare, non erit speciale in Romano Pontifice nec in alio principe hoc priuilegium. Quamobrem aduertendū est in hac quæstione duo esse specialia in Romano Pontifice: Primum quod si locus, vbi citandus habitat, tutus non sit, nec ad eum pateat tuta accessio, potest princeps citandum per edictum publicum vocare, eaq; citatio sufficiens est, etiam si edictum non mittatur ad loca vicina illi oppido, vbi vocandus commoratur. Secundum, quod allegans contra citationē per edictum a Romano Pontifice factam, quod tute poterat eius domicilium adiri ipseq; commode citari, nō purgat ex hoc contumaciam, nec auditur: bene tamen audiendus erit, si allegauerit ignorantiā citationis. Hæc equidem duo in Romano Pontifice specialia sunt, & in alio Principe supremo, quæ in iudicibus inferioribus citantibus aliquem per edictum minime admittenda sunt: sicuti tradit optime Feli.in dict.cap.quoniam frequēter. §. porro. vt lite non contestat. colum.ij.& sequentibus qui diligenter hanc materiam examinauit.

¶ Hinc denicq; colligitur, prædictā opinionē Antonij de Rosellis nō esse certam, nec veram in vniuersum: sed procedere quo ad Episcopos, qui ex malicia impediunt, ne citatio ad eorū notitiam perueniat: vel qui nullū dolum habentes, in ea tamen regione sedes habent, ad quam nec tutus, nec cō modus est accessus: vt probatur in dicta cle.j.de iudi. Qua ratiōe hæc indictio concilij generalis publice Romæ lecta, & affixa in his locis, quibus affigi Papa iusserit, satis sufficiēs erit, vt legitime vocati censeantur Episcopi, qui apud Indos occidētales, & meridionales prædicationi legis Euāgelicæ operam dare conātur. Nec ideo minus dicetur vniuersale cōciliū, qđ hi Episcopi nō fuerint specialiter vocati, vt intersint vniuersali synodo.

¶ Est & alia forma conuocationis omniū Episcoporū ad concilij celebrationem, qua Romanus Pontifex specialiter non quidem scribit Episcopis omnibus, sed tantum Archiepiscopis Metropolitanis: ad hos etenim literas dirigit, quibus eis notam facit concilij vniuersalis indictionem, eis item præcipiēs, vt Episcopos suffraganeos sibi subditos admoneāt, exhortentur, & requirāt. Quod ad vniuersalē synodū personaliter accedant. tex. optimus in capitu. propter ecclesiasticas. xviij.dist. atq; hanc formā vocādi ad synodum vniuersalē Episcopos congruam esse opinantur Domi.in cap. Episcopus.xviij.dis. & Anto. Rosellus in tract. de cōcilijs dict.q.v. eadē forma vsus est præter generalē publicationem Paulus Papa tertius nuper dum ad cōcilium Tridentinū Epōs voluit per eorū Metropolitanos vocari: sic enim Archiepiscopis scribēs literas ad eorum quēlibet destinauit.

Venerabili Fratri Archiepiscopo. N. Paulus Papa. III.

¶ Venerabilis frater salutē, & Apostolicam benedictionē. Cum nos, vt Christiana respublica aliquem fructum ex pace inter Serenissimum Cęsarem, & Christianissimum Regem nostros in Christo filios Charissimos facta, statim colligere inciperet, vniuersale concilium in quarta Dominica proximæ futura quadragesimæ prosequi decreuerimus, sicut ex Bullæ nostræ exemplo, quod ad te mittimus præsentibus alligatum clarius cognosces: hortamur te frater venerabilis, tibiq; iniungimus, vt ipsam Bullam tam tuis suffraganeis, quam cæteris tibi Metropolitico iure subiectis, ad ipsum concilium venire debētibus notifices: vt habita rei notitia id quisq; efficiat, quod pro suo officio facere tenetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo piscatoris Anno domini Millesimo quingētesimo quadragesimo quarto.

¶ Postremo quantum ad legitimam Episcoporum conuocationē ad vniuersale concilium, defendi adhuc poterit opinio Anto. de Rosellis, dum asseuerat, sufficere publicum Romani Pōtificis edictum ex eius speciali iussione palam lectū Romæ, & locis publicis affixū: si consideremus, hanc vocationem esse generalē, ad similitudinem citationis generalis, quæ fit per Pontificem Summum ad processus illos generales, de quibus mentio fit in dict. cle. j. de iudic. Atq; ideo sufficiens erit hæc vocatio per edictū, prgsertim cum tractetur de vocādis his, qui habitant, & cōmorantur in locis remotis: & quorū difficilima est specialis, ac personalis vocatio iuxta notata per Ioan. Andr. Abb. & Doct. in dict. capi. quoniam frequenter. §. porro. Hæc sane dicta sint de ea quęstione, quæ pertinet ad dubium illud, vtrum sufficiat generalis Episcoporum per edictum publicum vocatio.

Summa capitis Octaui.

1 *Qualiter vocandi sint Episcopi ad synodum.*

2 *Episcopus an teneatur ire ad concilium vniuersale, etiam si non fuerit vocatus?*

3 *Qua pœna sint puniendi Episcopi, qui legitime vocati, ad vniuersale concilium accedere neglexerint?*

4 *Episcopi vocati legitime ad synodum, impediti tamē possunt mittere, & destinare procuratorem.*

5 *Episcopi legitime vocati, & tamen impediti, tenentur mittere ad synodum specialem nuntium, aut procuratorem.*

Rursus de vocatione Episcoporum ad conciliū.

¶ CAPVT OCTAVVM.

VErum, vt Episcopi certi sint, quid agere debeāt, cū ad vniuersale synodū fuerint vocati, oportet indictionē concilij vniuersalis fieri cū certi loci, & tēporis præfinitione, ita quidem, vt locus, in quo synodus celebrari debet expressim nominetur: tempusq; a quo initium assumere concilij celebrationem Decretum est, specialiter signi- 1

ficetur. l. aut qui aliter. §. j. ff. quod vi aut clam. & nisi certum tempus Episcopis statutum fuerit, quo teneantur accedere ad concilij locũ, satis erit in citatione generali nominatim apponi tempus, quo incipienda est ipsi synodus: nam haec certa dies interpellat absque alicuius diei speciali praefinitione. l. magnam. C. de contra. & cõmi. stipulat. cap. cum dilecti. de dolo, & cont. capitu. eos. in fine. de senten. excommu.

¶ Sed si ex aliqua iusta causa, dies statuta ad initium concilij fuerit prorrogata, durat prior citatio, nec circumducitur, nec requiritur noua vocatio Episcoporum. Etenim cum quis ad totam causam citatur, ita quidẽ quod citatio generalis est, tunc non tantum censetur contumax ad effectum, vt actus possint fieri etiam post diem, ad quam citatus fuerit, sed & postea: vnde absque noua citatione poterit negotium expediri secundum Hostien. & Abb. num. xx. in dict. capi. cum dilecti. Abba. in capitul. consuluit. & ibi Card. q. iiij. de off. de leg. Alex. in. l. si finita. §. iulianus. numer. xlviij. ff. de dam. infect. Sic & si iudex mãdet, aut iusserit aliquem coram ipso comparere intra certã diem, in qua est impossibile, aut sane difficilimũ comparere, tenetur nihilominus post eãdem diem quam primum poterit ad iudicem accedere: quod tradit Feli. post alios in cap. quo ad consultationem. col. iij. de re iudicat. Haec siquidem praecepta duo continere videntur: vnum quod vocatus compareat, iudicique vocanti obediat: alterum, quod intra certum diem iussionem iudicis exequatur. Quod si alterum iam agere omiserit, profecto nulla ratio patitur, eum esse liberum ab altero: imo magis id agere tenetur. hoc probatur in l. celsus. ff. de arbitr. & in dict. capit. cum dilecti. de dolo & cont. notatur in capit. sicut. de sponsali. quo in loco hac de re latius tractant Abb. & Doctores.

¶ Sed si quis citatus fuerit ad certum actum agendum, isque actus die praefinito factus non fuerit minime veniente eo, qui vocatus fuerat: non poterit nisi die sequenti, alio tempore agi non vocato iterum eo, qui vocandus ad eum actum est: quemadmodum probatur in cap. consuluit. de offic. delegati. & in. l. si. ff. Quod vi aut clam. Quamobrem iterũ est contumax citandus, vt praesens sit actui particulari. Quae distinctio manifeste docet, Episcopos vocatos ad conciliũ vniuersale, certo die praefinito, ac demũ prorrogato, teneri absque alia vocatione ad concilium accedere intra diem prorrogationis. Aliud ipse censeo, si suspendatur concilij celebratio: nã cũ suspensio fiat ad tempus incertum, oportet, quod iterum vocentur Episcopi sublata suspensiõe: vel reuocatio eiusdem suspensionis publicetur.

¶ Sed queritur an eo casu, quo est necessaria vocatio Episcoporum ad cõcilium, teneatur Episcopus non vocatus ad eandẽ synodũ accedere, alioqui certus de synodi celebratione? Nam Domi. i ca. nõ oportet. xviij. dis. Io.

Andr. Imo. & Abb. in cap. Ego. N. de iure iurando. apertissime responderunt, non teneri Episcopum non vocatum ad concilium accedere, etiã si sciat, ac scientiam habeat concilij celebrationis. Idq; suadetur ex pluribus: primo ex dict. capitul. Ego. N. qui tex. vocationem requirit. Deinde ad hoc facit text. in capi. j. in fine de pace iur. firmand. vbi cõstat quod vassallus, qui alioqui tenetur Dominũ defendere, non tenetur præcise, nec pœnam incurrit, si nõ requisitus a domino eum defendere neglexerit, etiam si sciat Dominũ bellum gerere, & auxilio vassalli indigere. Idẽ probatur ex cap. propter ecclesiasticas. xviij. dist. qui canon expressim requirit, quod Episcopi ad cõcilium prouinciale vocentur, vt ad id teneantur accedere. Vnde ad concilium vniuersale nõ tenebitur Episcopus, qui non fuerit vocatus, accedere. Hoc ipsum patet: quia etiam si venditor teneatur emptorem in lite mota super re vendita defendere, l. venditor. & l. euicta re. ff. de euictioni. l. si non dubitatur. l. si cũ quæstio. C. eo. tit. cap. vlt. de empt. & vẽdit. l. tenetur. §. si tibi iter &. §. vlt. ff. de actio. empt. adhuc tamen non erit satis, vt teneatur de euictione vẽditor quod ipse sciat litem motã fuisse emptori, nisi fuerit requisitus ab emptore, quod defensionem litis adsumat. secundum Bartol. in. l. non solum. §. morte. ff. de noui oper. nunciat. nu. lij. Abb. & Doct. in dicto. cap. vlti. Bar. in. l. denunciasse. §. quid ergo. ff. de adulter. Fel. in cap. cum. M. de cõstit. num. lxv. quorum sententia cõmunis est. Igitur licet Episcopi teneãtur ad synodum accedere pro tractãdis rebus, & negotijs fidei, si tamẽ vocati non fuerint, minime quidquã culpæ eis erit imputandũ, si ad cõcilium vniuersale nõ ierint, quãuis sciuerint synodum generalem totius ecclesiæ indictum esse ad certum diem, aut eã iam certo in loco celebrari: atq; hanc video esse magis receptam opinionẽ ab his, qui de concilijs tractauere.

Nos vero quæstionem istam benignius in Christianæ religionis fauorem decidẽdã fore censemus. Etenim si Romanus Pontifex concilium vniuersale indixerit, eiusq; indictionẽ locis publicis curiæ legi, & affigi iusserit, secundum opinionem paulo ante examinatã, minime necessaria erit alia specialis vocatio. Idemq; erit vbi vocatio Episcoporum ad conciliũ vniuersale facta sit per Archiepiscopos iuxta alteram sentẽtiam, quam modo in præcedenti capite adscripsimus. Quod si has vocationes, aut earum quamlibet nõ sufficere quispiã existimauerit, & esse necessariam specialem citationẽ cuiuslibet Episcopi censeat, vel concilium fuerit indictum a Romano Pontifice absq; vlla speciali, & generali citatione, quod nequaquã cogitandũ est, cum semper publicatio concilij vniuersalis fiat, saltem per lectionem, & affixionem publicam edicti: nihilominus non tenebitur Episcopus non vocatus ad concilium ire in hunc sensum, vt tanquam contumax puniri valeat, etiam si sciuerit

concilij indictionem, eiusq; celebrationem: nulla siquidem ratio patitur eum ob contumaciam puniri, qui vocatus nusquã fuerit, ea vocatione, quæ ad actum necessaria est. Sed prętermissa contumacis punitione, nos arbitramur, Episcopum, alioqui minime iuste impeditum, teneri omnino sub peccati, & quidē grauissimi, pœna ad synodum vniuersalem accedere, etiam si vocatus non fuerit, modo sciuerit, ac notitiam habuerit celebrationis concilij vniuersalis, & possit rebus in eo tractãdis consilio, alioue pacto opem ferre, & ecclesiæ vniuersali vtilem operam impartiri. Hic nãq; admonemus ecclesiarũ præsules, concilia vniuersalia minime congregari solere absq; maxima ipsius Christianæ reipublicæ, & ecclesiæ Catholicæ vtilitate, atq; vrgenti necessitate: cui quidem non aliter medella adhiberi potest, quã ex Episcoporum ecclesiæ cõmuni consilio. Clamat igitur Christiana religio, eiusq; necessitas extrema omnes Episcopos iure ipso interpellat, & admonet, vt ei vndiq; concussæ remedium, & opem ferant, qua admonitione re ipsa vocantur Episcopi non impediti, quiq; propria industria ruinam, malumq; publicum in vniuersali concilio congregati auertere possunt: vnde nemo nõ videt (nisi & is impius sit) Episcopum, qui hoc in periculo iuxta proprias vires, subuenire ecclesię neglexerit, in gratitudinis vitium maxime contrahere. Pro huius opinionis confirmatione facit, quod licet regulariter dies, aut interpellatio in mora quem constituat: tamen fauore minoris, & ecclesiæ interpellatio necessaria non est: imo absq; ea debitor in mora constituitur. De minore est tex. in. l. in minorum. C. in quib. caus. in integ. rest. non est necess. in ecclesia vero idem dici solet, cũ minor, & ecclesia æquiparentur cap. j. cap. auditis. & ibi gloss. de in integ. rest. glo. in. l. respublica. verb. solet & Bart. ibi. C. ex quib. caus. maior. ad idem est glo. in. §. ex maleficijs. verb. in iudicium. de actio. & ibi Nico. de Neapo. q. xvij. Ioan. Faber. Angel. Areti. & Iason. idem Imola. in capi. breui. de iureiur. Alexand. in. l. quod te mihi. col. iij. ff. si cert. pet. qua ratione sunt qui teneant in materia de euictionibus, ecclesiã posse agere aduersus venditorem de euictione re quidem euicta, si venditor habuit scientiam litis motæ: quãuis ab ecclesia nõ fuerit ad defensionem requisitus, & interpellatus. ita etenim tenuerunt Bal. in. l. j. C. de peri. & cõmo. rei vendi. Roma. in dict. l. non solum. §. morte. ff. de noui oper. nunciat. nume. x. Et licet non desint autores contrariũ tenentes per cap. breui. de iureiur. & capitul. potuit. de locat. attamen si in aliquo casu admittenda est prior opinio, dubio procul hic, quem tractamus, exigit vere, quod Episcopi, & si non ad pœnam, ad obligationem tamen, in mora constituantur absq; vlla interpellatione: cum videant ecclesiam vniuersalem in Synodo generali suffragio Episcoporum indigere ad definitionem earum contro-

uessiarum, quæ potissimum ad fidē, & ad statū religionis pertinent. Nam si fauore minoris, & ecclesiæ particularis illud iure inductum est, quod ad moram constituendam nulla requiratur interpellatio, sed sit sufficiens, manifesta, aut nota ipsi debitori necessitas; fortiori ratione idem erit dicendū fauore ecclesiæ vniuersalis, & Christianæ reipublicæ, præsertim iuxta notata per Ioā. Andr. Abb. & Imol. in dict. cap. breui. dicētes, non esse necessariam interpellationem ad constituendum in mora ecclesię debitorem, quoties tacita cōuentionis lex, & eius natura dictat, manifestū esse debitori, ecclesiam indigere auxilio, quod is præstare promiserat. idem notat Iaso. in. l. quod te mihi. nume. xxij. ff. si cert. pet. Areti. in. l. si ex legati causa. nume. vj. ff. de verb. oblig. Quibus omnibus consideratis palam est, Episcopos alioqui non impeditos, teneri ad synodū vniuersale ire, si sciuerint, & notitiam habuerint, quod conciliū vniuersale congregatur pro vtilitate vniuersalis ecclesiæ, & viderint se ipsos aliquid vtile præstare posse plebi, & religioni Christianę, cuius solicitudo eos, vti veræ pietatis cultores, solicitat.

¶ Hinc & alia definiri potest quæstio, an vocatis Episcopis ad vniuersale concilium, eorum aliquot post vocationem vita functis, teneātur successores in dignitatibus ad concilium ire, etiam si specialiter iterum non vocentur? Nam nos opinamur, eos quidem teneri ex debito dignitatis, quam acceperunt: tametsi non possint vt cōtumaces puniri, si non ierint. Primū probatur ex proxime dictis in precedēti quæstione. Vltimū vero apparet: quia citatio, & dies præfixa antecessori: minime obligat successorē in dignitate. cap. quia. v. de iudic. cap. significauit. de rescript. notat Bald. in l. per diuersas. x. q. C. mandati. & in l. vlti. §. si præfatam. C. de iure deliberandi. q. iij. optimus text. in capit. dudū. xviij. q. ij. vbi successori post mortem antecessoris nouum mandatum fit, cum in his, quæ pœnalia sunt a persona recessum non videatur secundum Bald. in. l. j. C. de his quæ pœnæ nomi. Angel. in authentica. de hæredib. & falcidia.

¶ Quæritur tamen, an Episcopus legitime vocatus ad concilium, qui nō accedit ad synodum in initio, sed iam cepto concilio, sit ne admittendus ad concilium, & an possit puniri tanquā contumax? Qua in re dicendum est, 3 hunc Episcopum, si nullam iustā habuerit causam, ex qua valeat excusari ob id quod in initio concilij, die scilicet præfinita præsens non fuerit, puniendum fore arbitrio legatorū præsidentium synodo, & ipsius concilij: siquidem is, qui non comparet corā iudice tempore oportuno, & statuto pœnam incurrit contumaciæ. l. & si post tres. ff. si quis cautioni. Nihilominus tamen hic Episcopus admittēdus erit ab alijs Episcopis ad conciliū petita quidem ad hoc ab ipso concilio licentia. Etenim ante absolutū concilium mora, quo ad hunc effectum purga-

purgatur.argu.capit. cum dilecti. de dolo,& contuma.& cap. propter ecclesiasticas.in.j. & ibi glos.ac Domi. xviij.distinctione.

¶Hic vero Episcopus, qui ad concilium venerit,sero tamen, sed ante eius dissolutionem,lenius erit puniendus. Nam presumptio maxima est, quod non ex contemptu, sed potius aliquo impeditus negotio prius nõ venerit. quod in hac specie notat Card.a Turre Cremata in lib.ij.de ecclesia capit. xx.post Archidi.in cap.si Episcopus. xviij.distinctione.

¶Qua autem poena puniendi sint Episcopi,qui legitime vocati ad synodum vniuersalem venire contempserint,tradit Cardi.a Turre Cremata. in dicto capi.xx. argumentum adsumens a poenis,quæ statutæ sunt iure Pontificio aduersus Episcopos, qui non veniũt ad prouinciale cõcilium. Nam fortiori ratione eisdem poenis puniendi sunt,qui ad concilium vniuersale vocati per Romanum Pontificem,aut eius legatos minime accesserint.Poterunt enim Episcopi contumaces,aut venire nolentes excommunicari.cap.si Episcopus.xviij. distin. Et tamen hæc excommunicatio propria non est, sed suspensio quædam a consortio fratrum Episcoporũ: idest Episcopus hac poena notatus, priuabitur vsq; ad primam synodum a cõmunibus prouinciæ negotijs cũ alijs Episcopis pertractandis, nec admittetur ad scrutinium, nec ad consecrationem aliorum Episcoporum. vnde poterit Episcopus ita excommunicatus diuina officia celebrare secundum Huge.& Archid.in dict.cap. si Episcopus:quos sequitur Card. a Turre Cremata in dict. capi.xx. & Domi. in capitu. propter ecclesiasticas.in.ij. xviij.dist. Sed & præter hanc poenã poterunt Episcopi cõtumaces, nec venientes ad vniuersale concilium vere & proprie excõmunicari arbitrio legatorum in concilio præsidentiũ: & alijs item poenis puniri: quod probatur ex eo, quod ita fieri posse quo ad Episcopos nolentes venire ad concilium prouinciale notat idem Domi. in dicto cap.si Episcopus,& in dicto capitulo propter.

¶Item Episcopus nolẽs legitime vocatus ad concilium vniuersale accedere, indignationem incurrit Romani Pontificis,& sedis Apostolicæ: cui⁹ præcepto iubetur Episcopus ad concilium venire. Quamobrem peccatũ mortale contrahit, qui ita temere Romano Pontifici, & sedi Apostolicæ recusat obtemperare:atq; ideo nullus Episcoporum debet his præceptis refragari:præsertim in re,quæ communem omnium Episcoporum,& ecclesiarum vtilitatem inducit. Posset prætera Episcopus ob hoc contumaciæ crimẽ, vt periurus puniri: cũ iam eo tempore,quo ad dignitatem promotus fuit,iurauerit, ad synodũ accessurũ,quoties vocat⁹ fuerit. ca. Ego.N. de iureiur. Poena autẽ periurij est priuatio beneficij,& dignitatis nõ quidẽ ipso iure:sed per sententiam.cap.querelam. vbi glos. Abb.& Doct. de iureiur.glo.in cap.illud, de excess.præ

lator. Abb. & Doct. in cap. ij. de re-script. vbi Feli. asserit, hanc opinionē communem esse. eandem opinionem tenet. glos. in capi. quicunq;. vj. qō. j. Imo periurus ab ordine in pœnā est deponendus. tex. ita communiter intellectus in cap. cum non ab homine. de iudic. Abb. in cap. tua. de iureiur. vnde Prælati ad vniuersalem synodū vocati, cum tot pœnis subijciantur, si ad eam accedere neglexerint, maxime curare, & vigilare debent, ne in hoc negotio negligētes possint iudicari, atq; ideo ad concilium ire debent: & post quam ad id accesserint inde recedere non possunt absq; licētia ipsius synodi, vel Papæ. tex. in capit. j. de iudi. & in. l. quæsitum. ff. de re iudica. quia non dicitur cōparuisse, qui absq; vocantis, seu citantis licentia recesseit. notatur in cap. consuluit. de offi. delega. per Barto. in. l. si finita. §. iulianus. ff. de damno infect. Nam ita cōtumax dicitur, qui absq; licentia recessit, sicut qui nusquā comparuit: quemadmodum notauit Domi. in capit. Si quis autem. xviij. dist. Imo maiori, & grauiori pœna dignus est ille, qui vocatus, & veniens absq; vocantis licentia recesserit, quam qui sero venerit secundum Innocent. in capitul. calumniam. de pœnis.

¶ Oportet tamen, vt Episcopi hac in specie cōtumaces possint puniri pœnis a iure statutis, vel arbitrarijs, quod iterum citentur ad declarationem, & punitionem: quod probare videtur text. in dicto capitulo. propter ecclesiasticas. in. j. xviij. distinctione. facit ad idem quod notatur per Docto. in capitul. reprehensibilis. de appellat. & in capitul. si aduersarius. de eo, qui mitt. in poss.

¶ Principaliter vero in materia ista tractandum erit, an Episcopus ad synodum vniuersalem vocatus, legitime quidem impeditus possit procuratorem ad eandem synodum mittere? Et ex Bulla indictionis, quam in 4 præcedenti capite adscripsimus, apparet, posse Episcopos impeditos procuratores mittere ad synodum generalem: id etenim permittitur eisdem expressim a Romano Pontifice: sed & idem iure permissum esse constat. in capit. Si Episcopus ad synodum. xviij. distinctione. vbi Domini. & Docto. communiter eandem sententiam ex eo text. deducunt quo ad concilium prouinciale: & tamen eadem ratione idem dicendum est de his, qui vocati ad concilium vniuersale iustis impedimentis non possunt ad id accedere: est equidem eis permissum, procuratorem mittere. Nec tamen sufficit quodlibet impedimentum: imo requiritur causa grauis, & vere iusta, quæ vocatū maxime impediat. text. in capitul. Episcopus. & in capit. peruenit. xviij. distinct. capit. si ægrotās v. quæstio. iij. Hic vero procurator, qui ad concilium mittendus est ab Episcopo vere impedito causas excusatiōis ipsius Episcopi iustas apud concilium exponet, mandatumq; ad allegandas eas causas habere debet: quemadmodum sensit text. in dicto capitulo. si ægrotans. v. quæstio. iij.

& in dicto capitu. placuit. xviij. dist. capitu. quia propter. de electio. & notatur in capi. querelā. de procurator.

¶Sed quia non est sufficiens ipsa simplex impedimētorum allegatio, imo necessaria probatio est: tractandum erit qualiter iustæ excusationis causę probētur. Solet enim dici, causas impedimenti probari posse per vnicum tantum testem: quod tenet glos. in dicto capitul. placuit. glo. in cap. tanta. lxxxvj. distin. glo. vlti. in capit. quisquis. iiij. q. v. & in capit. ex literis. de in integr. restit. præsertim simul præstito iuramento ipsius, qui excusatur, vt glo. in dicto cap. placuit. cum agatur de probando impedimento non ad aliquid obtinendum, sed ad euitandām pœnam contumaciæ secundū Domi. in dict. cap. placuit. Sed quia text. in dicto capi. ex literis. de in integ. restit. dum probat, iustam impedimenti causam admittendam esse per iuramenti assertionem, addit illud, procedere fauore matrimonij, & in causa fauorabili, & vbi agitur de restitutione in integrum: quasi ea decisio aliud esse velit, vbi non tractaretur de fauorabili negotio: hac in quæstione dicēdum est, quod probatio sufficiens impedimenti est relinquenda iudicantis arbitrio: vnde qui de his causis cognituri sunt arbitrabuntur, quo sit congrua, & sufficiens impedimenti probatio. Sic etenim quoties de probandis impedimentis agitur, arbitrio iudicis relinquendum esse, quæ sit probatio idonea: tenent Abb. in capi. cum Bertholdus. columna. xj. de re iudic. Alexand. & Iasoni. in. l. ij. §. quod diximus. ff. si quis cautioni. Alexan. in l. quæsitum. ff. de re iudicata. Docto. in cap. ex ratione. de appellat. qui asseuerant, hanc opinionem communem esse. idem sensit. glos. in cap. si quis iusto. de electio. in. vj. quamobrem attendenda est ad hoc arbitrium nō tantum qualitas personarum, & temporis, sed & ipsius negotij: quod cōmuniter Docto. scribunt, & tradit Antoni. in capitul. querelam. de procur. atque idem Alexand. in. l. iij. in principio. ff. de iureiur.

¶Ex quibus nos admonendum esse censemus, quod Episcopi vocati ad vniuersale cōcilium, & impediti, procuratorem idoneum mittāt cum speciali mandato ad allegandas iustas absentiæ, & impedimenti causas: quas in ipso mandato specialiter exponāt, proprioque iuramento, eas esse veras, non fictas testentur: ac deinde si causæ impedimenti notoriæ sint, valde commodum, & vtile erit, in eodem mandato allegare, impedimenta notoria esse.

¶Sed non solum Episcopi ad concilium vocati, & impediti possunt mittere procuratorem, verum etiam tenentur id agere, alioqui vt contumaces puniendi sunt: quod probatur ex autoritatibus Paulo ante citatis, & ex Bulla indictionis. Nam licet alias in causis ordinis, qui non potest ad locum, ad quem vocatur, accedere, non sit cogendus mittere procuratorem capit. querelam. de procurat. gloss. in clemen. vnica. verb. fautoribus. de fo 5

ro compet. optimus text. in capit. ex parte. in. j. de appella. vbi Abb. Imo. & Francus tenent, dominum, cui locus tutus non est, non teneri mittere in causa ardua procuratorem, etiam si locus tutus sit procuratori. idem Felin. in capit. accedens. in. ij. vt lit. non contest. columna. iiij. Alexand. in. l. recusare. §. vltim. columna secunda. ff. ad Trebelli. hæc enim vera sunt, vbi adest exceptio loci non tuti, ex eaꝗ ratione quis excusatur: at in nostra quęstione solum datur impedimentum in ipso citato absꝗ aliqua culpa citantis, qui ad locũ tutissimũ citauit: maxime quod & in præmisso casu, quo locus, ad quem quis citatur, tutus nõ est, quidã tenent, cogendum esse citatum mittere procuratorem, etiam in rebus arduis, si locus sit procuratori tutus: quod visum est Innocentio, quem ibi sequitur Deci. in dicto capitul. ex parte. in. j. de appellat. quibus suffragatur text. in capitul. cum olim. de testib. vbi Areti. columna prima idem tenet, si domino principali locus tutus, quo causam, et litem prosequatur, constitui non possit. Igitur Episcopi ad concilium vocati, & accedere ad id impediti, tenentur procuratores, legatos, aut nũtios mittere, & destinare, cum speciali mãdato ad allegandas iustas absentiæ causas, & expediendum alia, quæ possint per eos expediri.

✠

Capitis noni Summa.

1 *Episcopus ad concilium vniuersale vocatus, & tamen impeditus, an teneatur mittere procuratorem, qui Episcopus sit?*

2 *Procurator missus ab Episcopo impedito, an habebit in concilio vniuersali vocem definitiuam?*

3 *Episcopus præsens in concilio vniuersali, habensq; alterius Episcopi impediti, & absentis vocem, qualiter ea vti possit.*

4 *Qua forma sit instituendum mandatum procuratorium ab Episcopo impedito, & tamẽ vocato ad vniuersale concilium.*

Quis procurator constituendus sit ad concilium vniuersale.

¶CAPVT NONVM.

DE procuratore mittendo ad synodum vniuersalẽ ab Episcopo, qui propter iustum impedimentũ nõ potest eidem synodo præsens esse, multa solent dubitari. Et primum an hic procurator, nuntius, aut legatus, his etenim nominibus nuncupatur, debeat esse Episcopus, cui competat alioqui iure dignitatis Episcopalis vox definitiua in negotijs per eandem synodũ examinandis, ac definiendis. Item an si cõstituatur procurator sacerdos, aut clericus simplex, debeat is admitti ad vocem consultiuã, & decisiuam simul, an ad vocem consultiuã tantũ? Et sane qđ possit ab Epõ impedito mitti procurator, ad allegandas causas absentiæ,

omnibus notum est, nec negari poterit. Sed quo ad vocem dandam in decidendis, ac definiendis negotijs videtur quibusdã, quod si procurator sit alter Episcopus, is habeat nomine cõstituentis, & impediti vocem definitiuam in concilio vniuersali: hoc ꝓbatur in cap. quia propter. de electi. & in cap. si quis iusto. de electiõe. in. vj. vbi constat, Canonicum impeditum posse alteri Canonico eiusdẽ ecclesię vocem propriã, & suffragium ad electionem committere, etiam inuitis alijs canonicis. ad idem facit optimus. text. secundũ intellectũ Domi. in ca. si Episcopus. xviij. dist. Nam dum ille tex. permittit Episcopis vocatis ad prouinciale concilium, & impeditis legatum mittere ad synodũ. Domi. ibi exponit legatum, idest substitutũ. Et profecto vtraq; dictio hunc sensum habere videtur, quod procurator, legatus, vel substitutus vocem habeat definitiuã nomine Episcopi impediti. tex. in simili in capi. si quis ægrotans. v. q. iij. Et huic opinioni accedit regula iuris, quæ dictat. posse quempiam agere per alium id, quod posset per se ipsum. reg. potest quis. de regul. iur. in. vj. l. quæsitum. ff. de iurius vocando.

¶ Est contrarium, quod procurator etiam Episcopus non habeat in concilio vniuersali nomine Episcopi impediti vocem definitiuã: nec ad hoc possit mandatum dari: facit ea ratio, quia habet, non posse alteri committi ea, quæ industriam personæ requirunt. l. inter artifices. ff. de solutioni. capit. vlt. de offi. delega. Episcopus vero ad hoc vocatur, vt præsens sit synodo, consilium q; & vocem iuxta propriã prudentiam, consilium, & iudicium præstet in rebus tractandis in ipso cõcilio. Quæ quidem delegari non possunt, nec alteri committi: sicuti ratione manifesta probatur: alioqui Episcopus procurator ab altero cõstitutus, qui posset vocem pro absente, & impedito dare, non magis ea voce præstaret, quã si nullum ab impedito mãdatum haberet: saltem quo ad maturum iudicium, & consultiuam deliberationem, quæ maiorem vim habet ex plurium, prudentumq; virorum sententijs. in hoc etenim casu Episcopus hic ab impedito procurator constitutus iam semel huius deliberationis particeps est proprio nomine, nec quidquã aliud quo ad deliberationis maiorem vim efficere potest, etiam si nomine absentis vocem dederit: quã iam proprio nomine semel emisit. Non obstat huic opinioni, si quispiã dixerit, posse mandatum ab Episcopo impedito ita dari, vt certam eius vocem & definitionem contineat. ca. pit. si quis iusto. de elect. in. vj. vnde industria, & iudicium impediti Episcopi maxime proderit in rebus definiendis. Nam præterquã quod in cõcilio plura negotia tractanda sunt, & ideo certum mãdatum cum certa sententia dari non possit: ipse Episcopus impeditus, si præsens foret, audito, & examinato negotio, aliorumq; visis sententijs, forsan propriam mutaret, aliudq; diceret satis diuersum ab his,

quæ in mandato. vt certa asseruerat: argumen. gloss. in capi. secundo. verbo. ciuilis. de arbitrio. in. vj. & eius, quod notat Abb. in capitu in genesi. de electio. et in capitu. iij. in fine. de iure patronat.

¶ Hinc denique maior est difficultas in ea quæstione, an Episcopus impeditus possit mittere ad generale concilium clericum simplicem, qui Episcopus non sit, vt eius nomine vocem præstet definitiuam. Etenim si procurator Episcopalem habens ordinem non est admittendus ad præstandam vocem definitiuam in concilio vniuersali, maiori ratione procurator, qui Episcopus non est, admitti non debet necessario ad hanc vocem in concilio dandam. Siquidem proprie pertinet ad Episcopalem dignitatem vocem definitiuam in concilio vniuersali præstare. capitul. vbi nam legisti. xcvj. distinctio. capitulo primo, decimaquinta distinctione. cum multis alijs, quæ ad hoc citari solent. Huic vero rationi poterit responderi, quod vox hæc decisiua ad iurisdictionem potius, & dignitatem Episcopalem, quam ad ordinem pertinet, vt superius dictum est: & ideo sicut ea, quæ sunt iurisdictionis, non ordinis Episcopalis, possunt ab Episcopis per substitutos, & vicarios, etiam non Episcopos exerceri: ita & hæc vox definitiua poterit per Episcopum impeditum, alteri non Episcopo, delegari: secundum communem resolutionem traditam in capitul. aqua. de consecra. ecclesię. vel altar. & capitul. quanto. de consuetu. Præterea quilibet, qui prohibitus non sit a iure, censetur idoneus ad mandatum procuratorium. l. mutus. §. primo. ff. de procurat. capitul. primo. de procura. in. vj. sed clericus simplex non est alicubi a iure prohibitus procuratoris officium exercere in concilijs vniuersalibus pro Episcopis impeditis: ergo non est necessario mandatum hoc ad dandam vocem definitiuam delegandum Episcopo. Hæc denique sunt, quæ ad vtramque partem quæstionem istam reddere solent difficilem, & ambiguam: idcirco tandem resolutiōe dignā. Qua ratione aliquot conclusiones in hac controuersia proponemus, ex quibus ad vnguē possit res ista expediri.

¶ Prima conclusio. Procurator ab Episcopo impedito constitutus, tantum ad allegandas in vniuersali concilio iustas absentiæ causas, esse poterit quilibet clericus: imo laicus, si nihil aliud is agere debet, quam causas absentiæ allegare. Hæc conclusio videtur omnium consensu recepta, & probata: siquidem nulla congrua ratio adduci potest, quæ contrariū probet: imo hanc opinionem probat textus. in capitul. primo. de procurator. libro sexto. & notatur in capitu. accedens. de præbend. Idem erit dicendū, quoties ab Episcopo impedito mittitur procurator, aut nuntius ad vniuersalem synodum cum mandato ad acceptanda omnia Decreta, & Canones ab eodem concilio statutos. Eadem etenim ratio postulat, quod hic

procurator etiam simplex laicus potest constitui. Item hoc ipsum locum habet, si Episcopus impeditus mittere velit ad concilium vniuersale procuratorem ad proprias causas tractãdas, & expediendas. Nam si nihil spirituale a procuratore agendum est, etiam laicus mitti, & constitui potest secundum communem in dicto capitulo primo de procurat. in sexto. Sic sane quamuis laicus non posit beneficium ecclesiasticum posidere, sitque incapax illius: tamen optime poterit procurator constitui laicus ad acceptandum beneficiũ nomine alterius, quemadmodum notant Ioan. Andr. Imola, & Doctores in dicto capitul. accedens. de præbend. & Philippus Francus in dicto capitulo primo. de procurat. in. vj. Imo & laicus procurator constitui potest ad resignanda, & permutanda beneficia ecclesiastica, vt tenent auditores Rotæ in decisionibus antiquis, ccccxviij. &. ciiij. Nam hi actus solum habent facti ministerium, non iuris: ideoque laicus etiam in negotijs spiritualibus ministerium istud nomine alterius exhibere poterit.

¶Secunda conclusio. Episcopus ad concilium vocatus, & impeditus tenetur omnino mittere nuntium, legatum, aut procuratorem specialiter constitutum ad allegandas causas absentiæ, capitul. placuit. capitul. peruenit. xviij. distinctione capitu. si ęgrotans. quinta quæstione tertia. Hæc equidem procuratoris cõstitutio adeo necessaria est, vt minime valeat Episcopus ad vniuersalem synodum vocatus aliter a contumaciæ pœna excusari: nisi fidem per procuratorem in synodo fecerit earum causarum, quæ ipsum ire ad concilium impedierint: quod ex prædictis manifeste colligitur.

¶Tertia conclusio. Episcopus ad cõcilium vniuersale vocatus, & impeditus ad id accedere, tenetur mittere nuntium, procuratorem, aut legatum specialem ad recipiendum statuta, & Decreta concilij vniuersalis. capitul. si Episcopus. xviij. distinctione. tenet in specie Antonius. de Rosellis in tractа. de concilijs quæstione quinta. & probatur quia quilibet Episcopus tenetur recipere Decreta, & canones a concilio statutos, eosdemque suo clero palam manifestos facere. capitul. vltimo. xviij. distinctione. ad hoc autem ministerium etiam laicus cõstitui poterit procurator: vt superius probauimus, & idẽ Rosellus scribit in dict. quæstione quinta.

¶Quarta cõclusio. Non tenetur Episcopus ad conciliũ vocatus, & impeditus, præcise mittere procuratorẽ, aut nuntium ad præstandã in concilio vocem definitiuam. hæc cõclusio manifesta est, quia Canones, quib9 cõstat Episcopum impeditum teneri ad mittendum procuratorem ad concilium, tantum id statuerunt ad hunc effectum, vt procurator allegaret causas absentiæ, & eisdem allegatis excusaretur Eps impeditus a pœna cõtumaciæ: nõ tñ eisdẽ canonibus expressum est, qđ teneaẽ hic ꝓcurator vocẽ

definitiuam in concilio præstare: nisi Papa iusserit Episcopis ad cōcilium vocatis, & impeditis, quod procuratores mittant ad dandam vocē in cōcilio definitiuam. pro hac conclusiōe facit quod notatur in capi. quia propter. de elect. & in capi. si quis iusto. eo. tit. in. vj. ex quibus, & ex his, quæ ibi a doctoribus traduntur patet, nō teneri Canonicum ad electionem vocatum, & tamen impeditum mittere propriæ vocis delegationem: licet si velit id agere posit. Atq; ita in specie ista de cōcilijs vniuersalibus agēs notat Antoni. de Rosellis in dict. tra cta. de concilio. q. v. principali.

¶Quinta conclusio. Quoties a Romano Pontifice non est permissum Episcopis ad concilium vocatis propriam vocem, quam si præsentes forent, essent habituri, alteri delegare: ex rigore iuris nullus procurator, etiam Episcopalem habens ordinem admittendus est ad vocem nomine absentis exhibendam in rebus definiendis; nisi id tacite, vel expresse Papa, vel concilium ipsum permittat. Hæc conclusio cōstat ex rationibus in principio huius capitis adductis: quibus satis apparet, vocem istam definitiuā, iusq; dicendi in vniuersali concilio propriam sententiam delegabile nō esse. quod expresse adnotauit. Cardi. Iacobatius lib. ij. de concilio. articu. iiij. versi. Attamen hic occurrit.

¶Sexta cōclusio. Etiam si liceat Episcopis ad concilium vocatis, & impeditis vocem definitiuam delegare, ad eamq; dandam procuratorem, nuntium, aut legatum destinare, minime poterit hoc mandatum alteri quam Episcopo committi. hanc conclusionem tenet Antoni. de Rosellis in tracta. de concilijs. dict. q. v. Et hoc ipsum probatur: quia licet ius dicendi sententiam in concilio vniuersali ad definitionem earum quæstionū, quæ in eo tractandæ sunt, non pertineat præcisse ad ordinem Episcopalem: si quidem superius diximus, posse Episcopos electos, & confirmatos, nondum tamen consecratos ius dicere, vocemq; exhibere in concilio vniuersali ad definitionem negotiorum: tamen nihilominus dicendum est, quod hoc sit proprium dignitatis Episcopalis: cum concilium vniuersale constet ex Episcopis, qui Apostolis successere, quemadmodum non semel in præcedentibus probauimus: multa etenim ad iurisdictionem expectant Episcopalem, quæ regulariter per alios quam Episcopos tractari non possunt: sicuti de causa matrimoniali tradi solet: quæ a solis Episcopis tractāda est quo ad cognitionem, & sententiæ pronuntiationem. capitu. multorum. xxxv. quæstione sexta capitul. auditis. de præscriptio. capitul. accedentibus. de excess. præ. notāt Abb. & Doctores in capitu. j. de consang. & affinitate. tametsi ex generali commissione posit de ea cognoscere vicarius Episcopi. textus. & ibi Abba. in capitulo vltimo. de cognat. spirit. capitul. literas. de restitutione spoliat. quod procedit ex quadam iuris canonici permisione. Nam licet Roma-

nus Põtifex posit causam matrimonialem delegare his, qui Episcopi non sunt, nec dignitatem Episcopalem habent. cap. ex literis. de in integr. resti. cap. proposuisti. de probat. capi. j. vt lit. non contest. glo. in dict. capi. j. & ibi Abb. de consanguinit. & affinit. tamen non solet Romanus Pontifex causam matrimonialẽ alijs, quã Episcopis delegare secundũ Ioan. Andre. Antoni. Abb. & Doct. in cap. si pro debilitate. de off. delegat. & Doctor. per text. ibi in cap. causam matrimonij. eo. tit. Igitur etiam si vox definitiua in vniuersali concilio præstanda, iusq; dicendi sententiam in eodẽ non pertineat ad ordinem Episcopalẽ, vere tamẽ requirat Episcopalem dignitatem: Romanus tamẽ Pontifex, aut ipsum vniuersale cõcilium tacite, vel expresse admittere poterit Episcoporum absentium procuratores, aut nũtios ad vocem decisiuam; quod omnes fatentur.

¶ Septima conclusio ex præcedentibus satis manifesta est: nẽpe nõ posse constitui procuratorẽ ad conciliũ loco Episcopi absentis, & impediti ad vocem definitiuã eum, qui laicus sit: nisi ex licentia, atq; autoritate tacita, vel expressa ipsius cõcilij, aut Romani Pontificis. Quæ quidem conclusio, vt diximus, ex traditis superius in hoc ipso capite.

¶ Octaua conclusio. Episcopus habens in vniuersali concilio duas voces definitiuas vtcunq; sit ex speciali
3 quidem ratione: vnam iure proprio, alterã nomine alterius Episcopi impediti, non poterit diuersas sententias in eadem quæstione, & re dicere: quia vnum tantum, & indiuiduũ iudicium habet, cui commissa est non tantum vox propria, sed & aliena: atq; ideo iudicium illud vnicum, & indiuiduum non potest nomine alteri⁹ id censere iniquũ, quod nomine proprio æquũ existimauerit. Nec aliud vere dici potest iuxta verum rationis dictamen. quod manifeste probatur in cap. penult. §. porro. de electi. in. vj. notant Ioan. Andr. & Doct. in cap. quamuis. de offi. delegat. idem Abb. in cap. cũ olim. de re iudi. Hoc tamen est intelligendum in procuratore, cui committitur vox iuxta eius arbitrium præstanda: nam in hoc casu, cum sibi liberum relinquatur arbitrium, non poterit aliud nomine alieno censere, quam nomine proprio æquum, & iustũ esse censuerit. Quod si mandator non commiserit vocem in liberum procuratoris arbitriũ, sed ei dederit certũ mandatũ, & formam certã præscripserit, ac certã sententiã a procuratore dicendã in mandatis expresserit, tũc procurator diuersa dicere poterit, vnũ quidẽ nomine proprio, aliud vero noĩe alieno: si quidẽ dum pronuntiat nomine proprio sententiã, iudiciũ ipsius, eiusq; cõscientiæ dictamen sequitur. at vbi alterius nomine vocẽ dat, præscriptã a mãdatore formã seruat, a qua discedere nõ põt. Sic etenim distinguit tex. ĩ dict. §. porro. qui hac in qõne singularis est. & ex eo ita notant Abb. & Doct. in dict. cap. quamuis. & in dict. capi. cum o-

lim. notat etiam Abb. in cap. scriptũ. de elect. iij. notab. optimus text. in capit. a collatione. de appellat. in. vj. & in. l. si consul. ff. de adoptioni.

¶Nos vero, cum nuper a Tridento, quo ad vniuersale conciliũ iussu Pauli tertij accesseramus, ad hanc Granatensem prouinciam Caroli Cæsaris & Hispaniarũ Regis Decreto, atq; mãdato, ob intermissionem Tridentinæ synodi, reuocati fuerimus, vt Regio prætorio, cui Bætica, & aliæ prouinciæ, quæ citra Tagum sunt, parent, & subsunt, Præfecti munus impertiremur, ac tandem per Iulium tertium Summum ecclesiæ Catholicæ Pontificem rursus ad eandem synodum vocati, non potuerimus eidem synodo interesse: nuntios, procuratoresq; speciales ad eandem synodũ destinauimus, quibus iuxta ea, quæ hoc
4 in capite tradita fuere, mandatum dedimus. Huius vero exemplar hoc in loco ideo adscribere constituimus, vt lector diligens, si hoc nosse cupit, hinc percipiat, qua forma, mandatum procuratorium in hoc casu concipiendum sit.

Forma concipiendi mandati procuratorij, ad comparendum in concilio vniuersali nomine Episcopi impediti ex sequenti mandato facile colligitur: vt inde quodlibet aliud posit recte institui.

¶Nouerint vniuersi præsentes literas in specturi, quod Ego. D. Alaua, & Esquiuel Dei, atq; Apostolicæ sedis gratia Abulensis Episcopus, literis, & iussu sanctissimi domini nostri Papæ Iulij Tertij ad Tridentinam synodum vocatus, cui maximopere voluissem interesse, cum vt mandato Summi præsulis obtemperarẽ, tum vt & Christianæ reipublicæ, si quid præstare officio, & munere possem, alacri animo exhiberem: iustis tamen impeditus negotijs, pluribusq;, sicuti arbitror, excusatiõibus præmunitus, vt iuste possim apud ipsam synodũ, Reuerendissimos Cardinales Apostolicæ sedis legatos, & Episcopos inibi congregatos, ex beneuolentia, & Christiana pietate excusatus censeri, venerabilẽ virum. N. Diœcesis Placentinæ clericum nos inquã nostrũ constituimus certum nuntium, idoneumq; procuratorẽ, cui nostras vices cõmittimus, ac delegamus ad omnia ea, q̃ nos ipsi possem⁹ iure in eadẽ synodo agere, et expedire: specialiterq; ad allegãdasquascũq; iustas absentiæ causas, & excusationes, q̃ nobis vere suffragãtur, vt posim⁹, nisi aliud sanctæ synodo visum fuerit, a personali accessu excusari, atq; ne nos ipsi teneamur ad eandẽ synodũ personaliter accedere. Præsertim quod cũ precepto sanctissimi patris Pauli tertij tũc Romanæ, et Apostolicæ sedi p̃sidẽtis, lõgis itinerib⁹, magnis laborib⁹, et impẽsis Tridẽtũ ipsã accesserim⁹, atq; ibidẽ q̃tuor annis cõmorati, dũ ipsi⁹ Chrianæ religiõis causę, et negotia tractabã

tur: tandem eodem concilio intermisso, & cessante in Hispanias, nostramq; diocecesim redierimus: si modo idem iter repetere cogeremur, non posset id fieri absq; propriæ diocecesis, & eorum, quorum curam spiritualem gerimus, dispendio maximo quidem, et quod hactenus auertere iuxta vires nostras Deo fauente curauimus. Deinde cum ægritudinis longæ, senectutisq; grauiter vrgẽtis causa. D.a Mercado Abulensis quondã Episcopus, cui nos Apostolicæ sedis gratia successimus, prædicta Abulensis Dioecesis pluribus annis visitatione Episcopi fuerit destituta, & ob id frequenti indigeat huius muneris cura, & solicitudine, oportet me ab Hispania nequaquam discedere, quo commode valeam quotanis eam Diocecesim, quæ nobis commissa est, visitare. Et præter hæc Catholici Caroli Cæsaris, et Hispaniarum Regis iussu huic Granatensi Cancellariæ præsidẽtes omni conatu elaboramus, atq; nitimur vt in hac Hispaniarum parte, quæ Bæticam, aliasq; prouincias complectitur & maxime Granatense regnũ nuper Christiana religiõe, & fide Dei gratia præditum, iustitiæ munus recto tramite ministretur: minime possemus, nisi hoc relicto munere, ad synodum ipsam pergere. Quas quidẽ excusationis causas Deum ipsum testamur, & sancta Dei Euangelia non fictas, nec excogitatas, sed omnino veras esse, quæ tanquam omnibus palã notoriæ, & manifestæ iure possunt, nos ab earum probatione immunes efficere. Nihilominus eidem. N. nostro procuratori speciale mandatum his literis damus ad easdem causas iuramenti religione, in animam nostrã præstiti, comprobandum: quod si sacrosancta synodus ex præmissis causis me, quod humiliter obsecramur, excusatum esse ab hoc itinere censuerit, eundem. N. saluo semper ipsius cõcilij consensu, & Decreto nostrum itidem constituimus specialem procuratorem, & legatum, vicesq; nostras ei demandamus modo, quo iure melius possumus, & valemus, vt is nostro & nostræ dignitatis nomine in omnibus negotijs, & causis, quæ in eadem synodo tractabuntur, vocem præstare, propriamq; sententiam dicere valeat: atq; item acceptare & suscipere, ac ratum habere quidquid ipsa synodus statuerit, & decreuerit. Nã & nos ea accipimus, rataq; habemus: promittentes nos ratum habituros, sicut & ex nunc habemus omnia, & quæcunq;, quę nostro nomine idem. N. noster nuntius, & legatus, aut procurator in eadem synodo salua fidei Catholicæ veritate gesserit: committimusq; dicto. N. potestatem substituendi alium nostro nomine procuratorem ad omnia, & singula, quę in his literis expressa, vel tacite continẽtur. In quorum fidem & testimoniũ has literas proprio, & dignitatis nomine subscripsimus, solitoq; sigillo signauimus. datis Apud inclytã Granatã Anno domini Millesimo Quingẽtesimo, Quinquagesimo primo indictione Nona. &c.

Capitis decimi Summa.

1 *Synodus generalis, an possit recusari? Et ibi quid de prouinciali.*

2 *Episcopus in generali concilio præsens, an habeat ius reuocandi domum, si fuerit apud concilium ciuiliter, vel criminaliter conuentus.*

3 *Concilium vniuersale, an habeat iurisdictionem ordinariam, & contentiosam ad cognoscendum, & iudicandum de causis, & contentionibus Episcoporum?*

4 *Quo titulo, ac nomine concilij vniuersalis, vel Papæ sint promulganda Decreta ab ipsa synodo vniuersali statuta?*

Aliqua in genere de concilijs vniuersalibus traduntur.

¶ CAPVT DECIMVM.

PAVLO ante satis probatũ est, Episcopos vniuersi christiani orbis post publicam concilij vniuersalis indictionẽ, teneri ad eandem synodum, nisi legitime sint impediti personaliter accedere. Nunc vero dubitatur, an Episcopus ipso in concilio præsens, aliquot criminibus impetitus, decq; eis apud concilium accusatus: vel super causis ciuilibus conuentus posit concilij iudicium declinare, & effugere petens se admitti ad priuilegium reuocandi domum: quasi super his accusationibus, & actionibus minime instructus accesserit? Cui quæstioni & altera accedit, an concilium posit recusari? Et sane hæc quæstio vltima prius erit examinanda, vt aptius prima dubitatio dissoluatur. Etenim conciliũ posse recusari probatur iuxta quorũdam intellectum in capi. quod suspecti. iij. q. v. versi. Hinc sanct'. vbi Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem scribit, Ioannem Chrysostomum concilium contra se conuocatũ iustissime recusasse: eiusq; collegium declinasse. ad idem optimus est tex. in clem. pastoralis. §. Pisana quoq; ciuitas. de re iudica. quo in loco apparet, vniuersitatẽ, & ciuitatem, quæ ex pluribus constat, recusari posse. Nam & omnes Doctores vnius ciuitatis recusari possunt, vt suspecti secũdum speculat. tit. de requisitione consilij. iiij. colum. Albe. in. ij. part. statut. q. c. Abb. in ca. Licet ex suscepto. de foro compet. & Chalderi. consil. vj. tit. de appellat. Iason. in. l. apertissimi. C. de iudic. modo suspicio fraudis cesset, data quidem iusta recusationis causa: si quidem in dubio ex his generalibus recusationibus fraus præsumitur autore Baldo. in. l. hoc modo. ff. de condit. & demõstrat. Sic sane vbi caput alicuius congregationis est suspectũ, & iusta notari potest suspitionis causa, totum ipsum collegiũ suspectum censebitur vt notat. Bal. in. l. j. ij. col. C. si rector prouincię. Abb. & Doct. in cap. j. de iudic. contrariam sententiam, quod conciliũ recusari nõ possit, tenet glo. in cap. j. de iudic. quę nõ tantum intelligenda est in concilio generali: sed & in concilio prouinciali. loquitur enim. glo. in casu illius Decretalis, q̃ vere de cõcilio prouinciali tractat.

tractat. cum ille text. deductus fuerit a concilijs prouincialibus Aphricanæ prouinciæ: sicuti apparet ex ipso volumine conciliorum dum traduntur Canones, & Decreta concilij Aphricani: idest colliguntur Canones quidam, & Decreta ex multis concilijs prouincialibus per Episcopos Aphricanæ prouinciæ celebratis. Quāobrem maxime Doct. falluntur, qui in dict. capit. j. de iudic. existimant, illud concilium Aphricanum vniuersale fuisse: cum dubio procul prouinciale fuerit. Sed quidquid sit de autoritate prædictæ glo. in hac quæstione sunt notandæ duæ conclusiones.

¶ Prima conclusio. Concilium prouinciale, aut synodus Episcopalis recusari potest, modo iusta opponatur recusationis causa. Hæc probatur in dict. cap. quod suspecti. ad idem tex. in cap. licet ex suscepto. de foro compet. vbi Consulum collegium recusari potest. Atque ita hanc cōclusionem tenent Docto. communiter in dicto cap. j. de iudi. in hoc reprobantes qd' glos. ibi notauerat. Erit tamen hoc intelligendum, quando causa suspitionis totam ipsam synodum tangit, & suspectam esse ostendit. Alioqui si aliquot ex his, qui in concilio prouinciali præsentes sunt, & de controuersia iudicare debent, fuerint suspecti, reliqui his exclusis poterunt ipsam causam definire: modo numerus remanens sufficiens sit iuxta canonicas sanctiones, & negotij qualitatem ad eius decisionem secūdum Abb. & cōmunem in dict. cap. j. de iudic. hi etenim, qui suspecti sint, in causæ cognitiōe, vel definitiōe, siue sint præsidētes cōcilio, siue in eo præsentes abstinere debent ab illius causæ cognitione, & iudicio.

¶ Secunda cōclusio. Concilium vniuersale totius ecclesiæ Catholicæ recusari non potest. Hæc vero sententia a plerisque pbatur eo casu, quo Papa est in ipso concilio præsens: tunc enim recusatio admittenda non est, quia Papa recusari non potest: quod in specie notant Hostien. Abbas. & Doct. in cap. querelam de electio: & præterea quia si concilium, cui Papa præest recusari posset, non maneret in orbe iudex ad causam istam tractandam, quod perquā durum, & absurdum censeri debet. Vnde hæc secūda conclusio iuxta sensum istum admittitur per Abb. & Doct. in dict. capi. j. de iudicijs. vbi additur alia ratio ad eam probandam. Nempe quia concilium errare non potest, quemadmodum alibi hoc libro sæpissime probauimus: igitur recusari vniuersale cōcilium minime poterit in illius causæ examine, in quo errare nequit. Cæterum rationes istæ non admodum conueniunt huic cōclusioni, nec eam efficaciter probant, vt statim ostendemus.

¶ Nam licet Papa recusari non possit ob quamcunque suspitionis causam nihilominus videtur, quod recusari possint priuatim aliquot episcopi, qui alioqui si non recusentur, dicturi sunt propriam in ea causa sententiam, & quorum voces admittentur vel ad cō

ſultationem, vel ad deſinitionē. Quo quidem caſu ſatis maniſeſte conſtat, plurimum eos nocere poſſe, ſi ſuſpecti ad conſilium, & vocem fuerint admiſsi. Etenim quãuis iudex ordinari' ſuſpectus non ſit, tamē ſi eius aſſeſſor ſuſpitionis notam habeat, recuſationi locus erit ſaltem ad hūc effectum, vt aſſeſſor is minime in ea lite ſententiã dicat, nec cōſilium præbeat: ſicuti deducitur ex notatis per Antonium & Abb. in capi. j. de iudic. Saly cet. in. l. j. C. ſi quicunq; prędit. pot. Innocē. in cap. inſinuante de offi. deleg. ꝓbat tex. ſingularis in cap. ſtatutū. §. aſſeſſorem. de reſcript. lib. vj. Quamobrem ſi rationē iſtam, cōſideremus exacte, fortaſsis videbitur, concilium generale, cui præſens Papa ſit poſſe quidem recuſari in hoc ſane ſenſu, quod licet Papa recuſari non valeat, ipſi tamen Epiſcopi in concilio præſentes, quos ſuſpitionis cauſæ comprehendūt, poſsint legitime recuſari, ne in ea cōtrouerſia ſuper qua recuſantur, ſententiam dicturi ſint forte erroneã, ob affectionem, cuius cauſa ſuſpecti cenſentur.

¶ Secunda ratio plane deficit, ſi conſideremus eccleſiam, & concilium vniuerſale nō poſſe errare in his, quę ad fidem, & ad mores pertinent: nam in his, quæ præuia cauſæ, & facti cognitione tractanda, & definiēda ſunt, nec ad fidem attinent, errare quidem poterit concilium vniuerſale iuxta cōmunem Doct. reſolutionem in cap. a nobis. in magno. de ſent. excom. & in capit. ſignificaſti. de electiōe. Vnde hæc ſecunda cōcluſio non ſatis probatur ex rationibus per Doctor. adductis. Fatentur tamen Doct. qui hanc quæſtionem tractauerunt, concilium generale recuſari poſſe, vbi in eo Papa præſens non ſit. Quaſi tunc poſsit apud Papã, qui ſuſpectus nō eſt, nec recuſari pōt, cauſa legitime tractari.

¶ Nos vero hanc concluſionē, quod concilium generale recuſari nō poſſit, aliter intelligendam eſſe cenſemus ſiue Papa ſit præſens, ſiue abſens: Nã concilium legitime congregatum ſiue aduerſus ipſum Papam, ſiue quemcūq; alium recuſari non poterit, nec talis recuſatio permittenda eſt, etiam ſi cauſa ſuſpitiōis aduerſus omnes Epiſcopos proponatur. Nec enim omnes tangere ſuſpitio vera poteſt, nec vniuerſalis ſynodi iudicium abſq; calumnia maniſeſta declinari valet.

¶ Quod ſi aliquot ex Epiſcopis in ſynodo generali præſentibus vere ſuſpecti ſint ei, cuius cauſa tranctãda eſt, & Epiſcoporum ſententijs definienda: tunc recuſatio ſiue Papa ſit præſens, ſiue abſens admittenda erit. Atq; ita Epiſcopi recuſati in illa cauſa ſententiam minime dicent, nec erunt ad conſultationem admittendi. Vnde licet Papa in caſibus, quibus aduerſus ipſum, concilium generale congregari poteſt, & iudicium, ac ſententiam proferre, non poſsit totam ſynodum recuſſare: eſſet enim humanum iudicium effugere, quod permittendum non eſt, poterit tamen aliquot epiſcopos ſibi quidem ſuſpectos recuſare, et petere, quod hi minime admittantur

ad consultationẽ, nec ad ipsius negotij definitionẽ. Hoc probatur ex his, quæ modo scripsimus in prima huius capit. conclusione. Nec tantũ hoc verum est in negotijs iudicialibus, & causis non pertinẽtibus ad fidem: sed & in his, quę ad fidem expectant. Nã in rebus fidei concilium vniuersale errare non potest: ipsi vero Episcopi, qui sententiam in eodem dicturi sunt, poterũt errare dũ particulariter vocẽ in synodo præstant: idcirco ne suspecti vocẽ erroneã fortassis reddãt, excludendi sunt ab ipsarũ quæstionũ definitione. Sic eodem modo est obseruandum concilium vniuersale nõ posse errare, modo legitime cõgregatum sit: alioqui si non fuerit legitime cõgregatum dubio procul errare poterit. Sicuti errare posset cõcilium generale quidem, si Episcopi hæretici admittantur ad consultationem, & definitionem causarum ad fidem pertinẽtium. Etenim legitime congregatum concilium illud dicitur, quod exclusis excludendis celebratur: nempe ad vocem definitiuam reddendam admissis Catholicis Episcopis: cum hæretici Episcopi alieni sint ab hac consultatione, & definitione: nec aliter ad concilium admittendi, quam vt synodi generalis, & Catholicorum Episcoporum iudicio summittãtur. Expurgandum igitur est vniuersale concilium hisce serpentibus, quæ auribus obturatis doctrinã, quam semel prauę imbiberunt, publice docere non verentur: nec pientissimam Catholicæ ecclesiæ admonitionem admittere voluerunt. In alijs similiter causis, quæ in ipso vniuersali concilio examinandæ sunt, quo ad controuersias priuatim ad aliquot Episcopos pertinentes, Episcopi legitime ob iustam suspitionis causam recusati, excludẽdi sunt ab earundẽ causarum examinatione.

¶ Quantum ad alteram quæstionẽ, an Episcopus vocatus ad concilium & ibidem præsens habeat ius reuocãdi domũ? videtur etenim quod istud ius eis competat: nam vocati a Romano Pontifice, vel a principe ius habẽt reuocandi domum: sicut legati, qui non possunt conueniri in loco legationis ex cõtractibus antea factis, etiã in eodem legationis loco. text. in. l. ij. §. legatis. ff. de iudicijs. atq; idem erit etiam si legationis locus sit curia Regis, vel Principis, iuxta communem Doct. sententiam. alij vero, qui in curia præsentes fuerint ex alia quacunq; causa quasi necessaria tenẽtur respondere si conueniantur apud curiã pro contractibus ibidem gestis: nec ius habent, aut priuilegium reuocandi domum: sicuti in dicta. l. secunda satis probatur. Causam autem hic intelligo quasi necessariam: vbi quis vocatus fuerit ad curiam ad dicendum aliquod testimoniũ, vel ad prosequendam appellationem ab aduersario interpositam: & his quidem alijs causis similibus: quemadmodum traditur in dicta. l. secunda. & per Abba. in capitulo vltimo. de iudic. et Doctores. in capitul. finali. de foro competenti. Est item de hac conclusione optimus text. in capitulo vltimo. de dilat. Ex

quo communiter colligitur, vocatũ a Romano Pontifice, vel a principe habere ius reuocãdi domum. tametsi in eodem capite priuilegium hoc reuocandi domum fuerit allegatum ab illo Archiepiscopo, cum omnino ei nõ competeret: & tamen licet priuilegiũ hoc vere non habuerit, nihilominus datur eidem ius hoc reuocandi domũ propterea, quod oportebat ipsum citatũ pro deliberatione negotij ad prouinciam redire, vt cum suffraganeis de lite illa, & controuersia super iure primatus consultaret. Alioqui apud Romanum Pontificẽ tenebatur præcise super eadem causa respondere: cũ nemo posset præter ipsum de ea cognoscere, essetq; ad eam citatus vt explicat Panorm. ibi. Is vero qui vocatus ad curiam habet ius reuocandi domum cauere debet saltem promissione simplici de stando in iudicio certo die in loco, ad quem reuocatur. text. glo. Bar. & communis in. l. ij. §. si dubitetur. ff. de iudic. Abb. & Doct. in dict. cap. vlt. de iudic.

¶Sed quo ad præsentem quæstionẽ de præsentibus in concilio, an hi habeant ius reuocandi domum: id tradiderunt Innocẽ. Antoni. Imol. & alij in cap. graue. de præbend. Præposi. in cap. de concilijs. xviij. dist. Ex quibus quidam opinantur, non esse locum huic priuilegio reuocãdi domũ, quoties cõcilium congregatũ fuit ad quasdam speciales causas tractandas: in his etenim causis non habet locum priuilegium reuocandi domum. Et hæc est fere omnium communis opinio. Quod si de alijs causis agendum sit. poterit quilibet Episcopus vti priuilegio reuocandi domum: quasi concilium fuerit super quibusdam specialiter nominatis negotijs, non super alijs, conuocatum. Si vero concilium siue vniuersale, siue prouinciale generaliter indictum fuerit nullis specialiter nominatis negotijs: tunc in ciuilibus controuersijs locus non est huic priuilegio reuocandi domum. capit. propter ecclesiasticas. ca. quoniã quidem. xviij. dist. glos. in capit. j. verb. interrogatus. de iudic. in criminalib⁹ autem habet locum priuilegiũ istud reuocandi domum: cum in his nemo teneatur respondere, nisi expressim ad eas citatus fuerit. cap. vlt. v. q. ij. quæ quidem resolutio deducitur ex Ioan. Andrea, Hostien. Innocen. & Imol. in dicto capitul. graue. Abb. in capi. ij. de dilat. quo in loco glo. communiter approbata distinguit causam ciuilem a criminali, vt tandem in criminali causa libellus accusationis inseri debeat ipsi citationi. capi. si primates. v. questi. ij. in ciuilibus vero necessariũ non sit, quod libellus citationi adscribatur. l. consentaneum. & ibi Doct. C. quom. & quand. iud. l. non videtur. in. ij. ff. de iudic. gloss. optima ad probãdum supradicta in cap. si Episcopus. iij. q. ij. Nos autem in hac dubitatione veriorem esse opinamur sententiam Ancha. qui in dict. cap. graue. colum. penult. censet, etiam in criminalibus causis non habere locum ius, & priuilegium istud reuocãdi domum quo ad concilium: cum in eo

etiam generaliter indicto, & conuocato tractãdum sit iure ordinario de reformandis moribus. Vnde ratione manifesta probatur, quod Episcopi in eodem concilio praesentes, si accusentur de criminibus teneantur praecise in eodem concilio respondere. Nec obstat illa interrogatio quae facta fuit in capi. j. de iudic. quia illa ex eo processit, ne posset postea Episcopus ille concilium prouinciale recusare, secundum communem illius text. intellectum.

¶ Nec item obstat distinctio paulo ante tradita ex glo. in dict. capi. ij. de dilat. Nam sicut in ciuilibus non est necessaria haec cautela, quod libellus citationi adscribatur, nisi citatio mittetur ad loca remota nimis ab ipso loco iudicij tex. in dict. capi. ij. de dilat. & est cõmunis resolutio secũdũ Fel. in cap. j. de libe. oblat. ita in criminalibus, imo in his maior adest ratio, ne accusatus certus de criminali accusatione fugã meditetur, & arripiat: quã obrem a reali citatione in his incipiẽdum est regulariter secũdum Saly. ce. in. l. absentem. iij. colũ. C. de accusat. & in. l. ij. C. de exhi. Bar. in. l. inter accusatorẽ. ff. de publ. iudic. idẽ in extrauag. ad reprimẽdũ. verb. si de praedicto crimine. quãuis Abb. et Aret. in cap. licet. de accusat. ita intelligẽtes illũ tex. respõderint, etiam in criminalibus libellũ accusatiõis, saltẽ quo ad principalẽ eius partẽ, & substantiam adscribendũ esse citationi, quae fit ex loco admodũ remoto. Quorũ sentẽtiam ꝓbare videtur regia. l. xiiij. tit. j. part. vij. idẽq; fieri debere maximẽ suadet ipsa aequitas, vt accusatus ad locũ iudicij accedat defensionibus, si quas habet, instruct⁹. Nam & si libellus nõ adscribatur citatiõi dãdae sunt induciae ipsi reo deliberatoriae: quae negari iuste poterũt si in citatione fuerit insertus libellus accusatiõis: vnde ad hunc effectũ in dict. cap. si primates. accusatio ipsa citationi adscripta fuit: sicuti Domi. ibi notare videtur.

¶ Igitur Episcopus ad conciliũ vocatus, & ibi praesens, siue criminaliter, siue ciuiliter ad examẽ alicuius querelae, aut controuersiae prouocetur, tenebitur respõdere in eodẽ concilio, iudiciũq; subire; nec habebit ius reuocandi domũ. habebit tamen legitimas inducias arbitrio ipsius concilij iuxta negotij, tẽporis, et loci qualitatẽ ad deliberandũ, & ad defensiones sibi competentes adducẽdas, & legitime praeparandas: ne indefensus iudicetur.

¶ Subinde hic quaeritur, an conciliũ habeat iurisdictionẽ cõtentiosam, ex qua possit iudicialiter de causis ciuilibus, & criminalib⁹ ad ecclesiasticã, & spiritualẽ potestatẽ pertinentibus tractare, & sententiã dicere? 3 Nam concilium prouinciale iurisdictionẽ habet ordinariã, & Causarũ cognitionem capitul. j. de iudic. capit. habeatur. & cap. propter ecclesiasticas. xviij. dist. capi. de concilijs. ea. dist. capi. multis. xvij. dist. cap. graue. de praebend. igitur & generale concilium maiori ratione eandem potestatem habebit: cũ maiorem habeat autoritatem.

¶ Huc etiã pertinet, quod si quis ve-

terum conciliorũ, & quidem vniuer saliũ acta euoluerit: plane comperiet, in eisdem synodis multa gesta fuisse, quae ad iurisdictionem, causarum cognitionem, & earum definitionem expectant: vnde constat, earundem synodorum autoritate conciliũ generale iurisdictionem habere, causarum cognitionem, & ius eas omnes per sententiam decidendi.

¶Idem probatur in cap. primates. ij. q. j. quo in loco glo. notauit, conciliũ generale autoritate Romani Pontificis congregatum posse Episcopos ob crimina, & delicta priuare dignitatibus, alijsq; poenis damnare. Item constat in capitul. ij. de cleri. non resident Anastasium Cardinalem in synodo depositũ fuisse, quia ecclesiam sibi cõmendatam per quinquennium deseruerit. Multis etiam autoritatibus manifestum fit, concilium generale posse excõmunicare, aliasq; censuras proferre. Atq; ideo, iurisdictionem ecclesiasticam, & contentiosam penes ipsum concilium generale residere a multis probatum extat.

¶Nos vero & in hac quaestione aliquot proponemus conclusiones, quę rem istam aliqua ex parte definire videantur.

¶Prima conclusio. Concilium generale in his quidem casibus, quibus inuito Romano Pontifice, & eo contra dicente congregari potest, & de summa rerum ad Christianae reipublicae vtilitatem pertinenti agere, iurisdictionem habet ordinariam cum iure coactionis. Haec ꝓbatur autoritate omnium, qui tenuerunt, cõcilium vniuersale posse quandoq; absq; Romani Pontificis autoritate conuocari, saltẽ eorum frequẽtiori sententia confirmatur. Nam conciliũ istud nisi iurisdictionem, & hoc ius coactionis haberet, profecto inutilis esset eius cõgregatio. Et praeterea ab ipso redemptore humani generis Iesu Christo hanc potestatem habet synodus vniuersalis in hisce casibus, vt traditur in cap. si Papa. xl. dist. cap. si quis pecuniam. lxxix. dist. Sic expressim hanc cõclusionem veram esse opinantur Cardi. Iacobati. libr. v. de concilijs arti. viij. & Anto. de Rosellis in tract. de autoritate concilior. q. xij. quod etiam apparet ex his, quae diximus superius in ea. q. qua disputauimus, an concilium possit ex vniuersali ecclesia absq; autoritate Romani Põtificis cõgregari.

¶Secunda cõclusio. Concilium legitime congregatum autoritate Romani Pontificis ad certa negotia, aut generaliter ad ea tractanda circa fidem, & mores, quae visa fuerint Christianae religioni conuenire, quo ad edendos Canones, & Decreta in pertinentibus ad fidem, & morum reformationem iurisdictionem habet secundum quosdam delegatam, secundum alios ordinariam: quod nobis magis placet tam ex veterum conciliorum vniuersalium vsu, quam ex ipsius iuris diuini, & humani rationibus. Siquidem maxima est autoritas synodi vniuersalis legitime cõgregatae, ipsius quidẽ Romani Pontificis accedente consensu: ex quo, etiam si alia multa hãc opi-

nionem probantia cessarent, deducitur ab ipso summo ecclesiæ principe concilium ad id conuocante iurisdictionem tributam esse, quę ordinaria sit: præsertim quod quãtum ad leges constituendas in moribus reformandis, & quo ad Decreta fidem concernentia ipsa vniuersalis synodus, ecclesiam vniuersalem repræsentans, quæ in his errare non potest legitime congregata potestatẽ habet mediate, vel immediate a summo Deo sibi concessam: quidquid sit de illa quæstione, quam superius examinauimus, an decreta, & Canones vniuersalis concilij legitime congregati, necessario sint a Romano Pontifice confirmandi, vt vim, & certam, atq; infallibilem autoritatem habeant.

¶ Tertia conclusio. Concilium vniuersale, etiã legitime cõgregatum quo ad controuersias iudicialiter definiendas, litesq; inter Episcopos, aut clericos subortas decidendas, nullam habet iurisdictionem, nisi illam, quæ tacite, vel expressim a summo Pontifice fuerit ipsi cõcilio delegata, aut commissa, ad hoc facit gl. in cap. ad Apostolicæ. de re iud. in. vj. in princi. scribens in actu iurisdictionis, & in eius exercitio conciliũ, etiã vniuersale, & Episcopos ibidem congregatos non esse iudices, sed Romani Põtificis cõsultores, aut assessores. idẽ tenuerunt Innocẽ. & Imo. in cap. graue. de præbendis. latissime Cardi. a Turre Cremata in lib. iij. de ecclesia. ca. xxxviij. quo in loco multis rationibus, & autoritatibus hanc conclusionẽ probat, & his, quæ in contrarium adduci solent, in specie respondet.

¶ Quarta conclusio ex præcedenti colligitur. Concilium vniuersale, cui Papa presens est, iurisdictionẽ habet ordinariã, etiam ad causas, & lites iudicialiter examinandas, sententiaq; definiendas ratiõe Romani Pontificis. Constat hæc conclusio: quia cũ Romanus Pontifex sit iudex ordinarius totius orbis. capit. cuncta per mundum. capit. per principalem. ix. q. iij. & ipse præsens sit concilio: consequitur, totum ipsum cõcilium prout est congregatum ex Episcopis totius orbis, & ipso Papa, habere iurisdictionem ordinariam, & omnium causarum cognitionem.

¶ Quinta conclusio. Conciliũ generale, seu vniuersale, cui Papa præsens est, per se quidẽ separatim consideratum absq; Romani Pontificis persona, nullam habet iurisdictionem nec ordinariam, nec delegatã ad cognitionem causarũ, earũdemq; decisionem. Etenim Episcopi quantum ad hoc assessores cẽsentur Romani Pontificis iuxta cõmunẽ sententiã in dict. capi. graue. de præbend. Atq; ita has duas vltimas cõclusiones tenet Antoni. de Rosellis in tract. de cõcilijs. q. xij. vnde secundũ harũ quinq; cõclusionũ distinctionẽ, & resolutionẽ sunt intelligẽdi text. & autoritates, q̃ solẽt adduci ad probãdũ, qđ conciliũ vniuersale habeat iurisdictionẽ ordinariã, & causarũ cognitionẽ. ¶ Hinc & alterius qõnis decisio poterit adsumi: an constitutiones, & Canones vniuersa-

lis concilij sint edendi, & publicandi sub nomine Romani Põtificis, an sub ipsius tantum concilij titulo? Et constat sæpissime in veteribus concilijs, Canones editos fuisse sub nomine cõcilij: non Papæ, quemadmodũ probatur in cap. placuit. xij. dist. cap. bene quidem. xcvj. dist. capit. vlt. xxx. dist. capit. j. cap. quidam. xvj. q. j. Ex quibus constat manifeste siue in concilijs prouincialibus, siue in generalibus Decreta publicata fuisse titulo, et nomine concilij; non ipsius capitis, quod itẽ multis alijs in locis satis apparet. cap. j. de iudic. capit. j. de pact. rursus e contrario quandoque in concilio generali canones editi fuere nomine ipsius Romani Pontificis. capi. non nulli. de rescript. cap. ne pro defectu. de electi. cap. cum sit. de ætat. & qualit. cap. non debet. de consang. & affinit. Quibus autoritatibus accedit ratio, Nam si constitutiões editæ in vniuersali concilio iuxta quorundam opinionem, cuius hoc in libro superius meminimus, adsumunt autoritatem a confirmatione Romani Pontificis, ab ipso item nomen adsumere debent. l. j. C. de veteri iure enucleando. cap. si apostolicæ. de præbend. in vj. traditur. in. l. si cęterarum. ff. de testa. milit. §. vlt. per Iaso. in. l. more. ff. de iuris. omni. Iud. & Bal in. l. ex placito. ff. de rer. permuta. colũ. iij. facit ad hoc tex. ille in hac materia de conciliorũ autoritate satis celebris in capitul. significasti. de electio. vbi probari videtur autoritatem conciliorum, etiam vniuersalium pendere a Romano Pontifice. Et præterea Romanus Pontifex est caput ecclesiæ vniuersalis, & concilij: a capite vero denominari debent actus ipsius vniuersitatis. §. religiosum. inst. de rer. diuisio. l. cũ in diuersis. & Barto. ibi. ff. de religio. & sumptib. funer. capit. in ecclesiastico. xiij. quæstione secunda. tanquam a digniori. glo. in cap. j. de renunciat. in. vj. verb. fratribus. capi. j. de offic. leg. eodem libro.

¶ His denique prænotatis, quidquid scribat Abb. in capit. j. de pact. & in capi. Quius. de elect. iij. notab. dicendum erit, plurimum hac in re stilum, & vsum potuisse hactenus in ecclesia Catholica, & nũc quidem posse deinde non multũ refert, cuius titulo edita sit constitutio, modo constet ab ipso cõcilio inibi præsente Papa, aut eo approbãte statutã fuisse, vt sciamus sit ne constitutio cõciliaris, vel tantũ Pontificalis; nam & hoc in iure maximũ effectum habet. Sed si res ista ad rigorẽ examinanda sit, profecto illud autoritate sacræ scripturæ satis probatur, constitutiones, & Decreta, alia quam acta cõcilij vniuersalis, posse in publicum edi, & promulgari sub ipsius concilij nomine, etiã si Papa præsens sit. act. eni. ca. xv. ita scribitur, visum est spiritui sancto, et nobis, atque iterũ Placuit nobis simul collectis in vnũ: & iterũ in principio. Apostoli, & seniores fratres his, qui sunt Antiochię. Nã et si Petrus ibi præsens esset: nihilominus acta edita fuere sub noĩe concilij non sub noĩe Petri. Siquidẽ sub cõcilio ipso vniuersali Romanus Põ

tifex comprehenditur, si ibi præsens sit, vt not. Abb. in cap. Osius. de electio. & in capi. j. de pact. Quasi tota synodus vniuersalis, cui presens Papa sit, ecclesiam vniuersalẽ, & Catholicam vere repræsentet: sub qua quidem vniuersali ecclesia dubio procul Papa continetur.

¶ Præter hæc sit congrua, vsuq; & praxi probata distinctio, canones, & Decreta concilij vniuersalis, cui Papa pręsens est, edẽda esse sub nomine Papæ, & concilij simul, ita vt in hũc modum vel similem promulgentur. Martinus quintus sacro approbante concilio. cap. ad Apostolicæ. de re iudi. in. vj. cap. sacro. de sent. exco. cap. vbi periculum. de electio. & alijs plerisq; locis.

¶ Sed si concilium legitime congregatum autoritate Papæ, ipsiusq; legatis præsentibus eo tamen absente, constitutiones, & Decreta fecerit: illa promulganda sunt sub nomine concilij tantum. Quod deducitur ex gestis veterum conciliorum, & præsertim ex synodis generalibus Constantiensi, Basiliensi, Florentina, & Tridentina. Sic sane sunt intelligendæ autoritates, quibus probatum est, cõcilij nomine promulgandos esse canones ab eo statutos.

¶ Non obstat argumentum, quod fecimus de concilijs prouincialibus. Nam illa concilia non adsumunt autoritatem ab ipso Archiepiscopo, sed a iure Pontificio: nec in eis tantam autoritatẽ habet Metropolitanus, quantam in vniuersalibus Romanus Pontifex: sicuti ex multis ꝓbari poterit: præsertim quia Papa omnia potest solus cum matura deliberatiõe, & cõsultatione agere, quæ potest synodus vniuersalis: at Metropolitanus non potest omnia solus agere, quæ concilium prouinciale tractare, & expedire iure Pontificio permittente potest. qđ ex pluribus canonibus, qui. xvij. & . xviij. dist. a Gratiano referuntur, expresse colligitur.

¶ Illud Præterea in hac quęstione est notandum, quod Abb. grauissime errauerit in cap. Osius. de electio. & in cap. j. de pact. dum vtrobiq; dixit ex illis decretalibus colligi, canones edẽdos esse a concilio vniuersali sub nomine ipsius synodi, etiam si Papa sit in eadem synodo præsidens. Etenim sensit Panorm. vtrobiq; Romanum Pontificem præsentem fuisse illis cõcilijs. Quod falsum est: cum in concilio Sardicensi, a quo sumitur tex. in cap. Osius. Papa præsens non fuerit: vt põt percipi ex Historia Tripart. lib. iiij. cap. xxj. et sequẽtibus. Caput vero primũ de pact. loquitur de concilio prouinciali Aphricanę Prouinciæ. De Sardicẽsi autem synodo, qđ absente Papa præsidentibus eius legatis celebrata fuerit est tex. optimus in cap. prima annotatio. versic. quarta. xvj. distinctione.

¶ Hic item est ex proxime dictis inferendũ, constitutionẽ in concilio statutã præsente ibidẽ Summo Põtifice, eiusq; noĩe editã cũ ea clausula sacro approbante concilio, esse omnino cõciliarẽ: quod in specie notant Domi.

consi.xliiij. Anto.& Imol.in capi.. de pact. idem si dictum esset a Papa: statuimus autoritate sacri concilij. capit.nimis.de iureiurã.aut:decernente nobiscum sancta synodo. capit.vlti. ij.q.j.notat Panor.in sermone,quem apud Basiliense cõcilium habuit.parte vlti.colum.iiij.ex Archid.in principio.xvij.distinct.Deti.idem sequitur,& probat in capit.j.de iudic.col. j.Hoc ipsum nos respondẽdum esse censemus,etiam si in vniuersali concilio edita sit cõstitutio sub nomine Papæ his tamẽ verbis: Cõstituimus de consilio sacrosancti concilij. nam secundum opinionem plurium Episcopi præsentes in cõcilio assessores sunt & consultores Papæ: atque ideo nil refert sit edita constitutio sub nomine Papæ de consilio,vel de consensu cõcilij.vtroque etenim casu cum ex cõsultatione vniuersalis concilij constitutio fuerit promulgata conciliaris erit censenda: quamuis Abb. in dict. sermone teneat contrarium eo casu,quo constitutio publicata fuerit nomine Papæ de consilio concilij,& Deti. in capit.j.de iudic.j.colum. &.j.lectio. teneat,non esse constitutionem conciliarem,etiam si dictum fuerit,de consensu concilij. Etenim nos totam vim tribuẽdam esse censemus quo ad hoc, vt constitutio conciliaris censeatur, aut promulgata sit in ipso concilio rẽ per Romanum Pontificem, vel eius legatos apud idem concilium discussa,& examinata,habitaque cum ipsa synodo consultatione. Nam ad hanc maturam deliberationem cõcilia vniuersalia congregantur,& ab initio ecclesiæ congregata fuere. Quidquid hac in quæstione scripserit Feli.in capitul.j.de sponsalib.iiij. colum. Ioã. Andre.& Domi.in capitul.vbi periculum.de electione.in sexto.quos ipse refert.

Capitis vndecimi Summa.

1 *Ad concilij vniuersalis essentiam non est necessarium precise quod duæ partes Episcoporum vniuersi orbis sint præsentes.*

2 *Maior pars Episcoporum præsentium in cõcilio sententiam,& definitionem certam facit.*

3 *An ius vniuersalis concilij penes duos, vel tres, aut quidem vnum resideat cæteris legitime vocatis,& venire recusantibus?*

Quo nam modo sententiæ Episcoporum in vniuersali concilio sint colligendæ?

¶CAPVT VNDECIMVM.

HActenus visum est, & multis in locis probatur, Episcoporũ sentẽtias, vocesque definitiuas,ac decisiuas maxime obseruãdas fore,vt inde colligatur quid sacrosanctæ synodo placeat in rebus,& negotijs definiendis. Nunc vero est inquirendum qualiter sint hæ sententiæ in vnum colligendæ ad certiorem decisionem: siquidem sæpissime contingere potest, varia,diuersa,quandoque cõtraria esse prælatorum,& Episcoporum iudicia.

¶Primum etenim quidam hac in materia disputare conantur, quot Episcopi debeat necessario præsentes esse in vniuersali concilio, vt conciliũ dicatur legitimum atq; integrum. Et sane si vniuersalis synodus ecclesiã vniuersalem repræsentans est ad modũ & conditionem aliarum vniuersitatum cẽsenda, oportet, quod in ea præsentes sint duæ partes Episcoporum Christiani orbis. Nam vniuersitas vera non est, nec consistit, nisi duæ ipsius partes sint simul, & in vnum congregatæ. l. nulli. & l. plane. ff. quod cuiusq; vniuersit. nomi. l. nominationum. & ibi Lucas de penna. C. de decurioni. lib. x. glos. in dicta. l. nulli. & in. l. alius. §. refert. ff. de regulis iuris. Bartol. in. l. omnes populi. numero. xvj. ff. de iustitia & iure. vniuersitas enim repræsentatur a duabus eiusdẽ partibus dict. l. nulli. Ex quibus multi hanc opinionem tenuerunt in cap. cum omnes. de constit. quæ deniq; si vera est, maxime poterit persuadere, concilium vniuersale nec legitimum esse, nec vniuersalem ecclesiam repræsentare, nisi duæ partes Episcoporũ Christiani orbis præsentes fuerint in ipso concilio. Quod etiã cõfirmatur ex his, quæ notat Ioan. Andre. in capit. j. de his, quæ fiunt a maiori. part. & gloss. in capit. bonæ, de postulat. prælat.

¶Ex contrario apparet, satis esse ad repræsentationẽ vniuersitatis, quod maior eius pars sit in vnum congregata: vt notant glos. in dicto capitul. cum omnes. & in capitul. quia propter. de electio. glo. in capitu. vltimo de maiorit. & obedi. gloss. in capitu. cum nobis. & in capi. cum inter vniuersas. de electio. optimus tex. in capitu. j. de his, quæ fiunt. a maio. part. cap. & in capi. hoc ius. x. quæstio. ij. Præsertim quia præcedens opinio, qua solet probari a quibusdam, necessarias esse duas partes ad repræsentationem vniuersitatis, tunc procedit, quãdo nullum adest vniuersitatis caput, nec prælatus, qui ipsos de vniuersitate vocauerit: imo ipsa vniuersitas congregatur proprio quidem motu absq; alicuius superioris vocatione. Nam ĩ hoc casu necessariæ sunt duæ vniuersitatis partes ad ipsius vniuersitatis repræsentationem: si quidem alioqui absentes, qui a nemine fuerunt vocati, nec constituti in mora. Atq; ita sunt intelligendæ autoritates, quibus constat, duas vniuersitatis partes esse necessarias ad hoc, vt quidquid in eo conuentu, & congregatione actum fuerit, censeatur ab vniuersitate actum. At vbi est aliquis collegij, aut vniuersitatis prælatus, qui habeat ius vocandi, & congregandi ipsam vniuersitatem tunc legitima vocatione præmissa totum ius vniuersitatis residet penes eos, qui præsentes fuerint, ab ipsisq; repræsentatur vniuersitas. quod probat tex. vbi Panormi. in capit. cum nobis. & in cap. in causis. de electio. facit. glossa in clementi. quia circa. eodem titul. tenet expresse Panormit. colum. penult. dicens hãc opinionẽ esse communẽ apud canonistas, & Feli. in dict. capi. cũ omnes.

etiam.penul.colũ.Barthol.Cœpola cautel.xxix. Et licet pluribus iuris vtriusq; Doctoribus hæc distinctio dubia videatur, tamen magis conueniens est, eaq; ratiõe probatur. Quia legitime vocati, & non venientes se ipsos alienos reddunt ab ipsa vniuersitate: atq; propter eorum contumaciam extranei efficiuntur: totaq; vniuersitas penes obedientes extat.capit. Guilisarius.xxiiij.q.iiij.dict. capitu. cum nobis.notant Innocent. & Ioã. Andre.in cap.ij.de noui oper. nunciat. Panormit.in cap.cum inter vniuersas.de elect. tametsi etiam in eo casu, quo omnes de collegio, vel vniuersitate fuerint per superiorem, & prælatum legitime vocati, quod requirãtur duæ vniuersitatis partes frequentiori sententia legistarum sit receptũ: quemadmodum constat ex his, quæ tradũtur in dict.l.nulli.& in.l.sicut. quod cuiusq; vniuers.nomi.& in dicto cap.cum omnes.notat Cardi.in dict.cap.cum nobis, de quo idem dubitauit in capit.ecclesia.in.ij.de elect. q.xiiij. Sed, vt Paulo ante dicebam[9], quoties vere absentes vocantur, per eum, qui vocare potest, & eos contumaces, si non venerint ad actum agẽdum, constituere: profecto Abba. & aliorum sententia verior est. Vnde si prælatus, qui vocat ad vniuersitatis congregationem, non potest absentes contumaces constituere, quia non habet potestatem restringendi terminũ, & diem, qui alioqui constitutus est ad eum actum, & congregationem eius causa celebrãdam: dubio procul non consistit vniuersitas penes præsentes tantum; imo oportet quod duę partes vniuersitatis conueniant simul vt omnino repræsentantes vniuersitatem totam, possint terminũ restringere, & absentes vocare, in moraq;, & contumacia constituere. dict.l.nulli. & l.plane. tradunt Hosti. & Abba. in dict.capit. cum nobis. Antoni.in cap.licet.colum.penult.de electione. Abb.& Feli.in dict.capi. cum omnes. fere ad finem. In summa illud est semper considerandũ an absentes, qui maiorem adhuc vniuersitatis partem efficiunt, fuerint legitime citati, & con stituti contumaces; siquidem ex hic contumacia censentur exclusi & alieni, saltem quo ad illum actum a collegio, & vniuersitate: vt probatur in dicto cap.cum nobis.

¶ Verum in hac quæstione, quam de concilio vniuersali tractamus, tenendum est, non esse necessarias duas partes omnium Episcoporum Christiani orbis, vt sit verum & legitimũ vniuersale concilium: imo satis erit synodus vniuersalis, eiusq; autoritas constabit penes p̃sentes Episcopos, etiã si maior pars sit absens, modo vocatio legitime facta fuerit propter rationes Paulo ante adductas: itaq; in specie opinionem istam veram esse arbitrãtur Anto Rosellus in tract.de conciliis.in ea quęstione, quam Folio.xiiij. peculiarem de hac dubitatione examinauit: & alij plures, quorum mentionem facit eos sequutus Cardi. Iacobati.in tract.de concilijs.lib.v.artic. vij. quo in loco late disputat de intellectu.

lectu.l.nulli.& l.plane.ff. quod cuiusq; vniuersit.nomi. Nam si vetera vniuersalis ecclesiæ concilia repetamus, eorumq; subscriptiones diligenter numeremus, constabit, non semper duas Episcoporũ vniuersi orbis partes in vnum conuenisse: sed quandoq; minorem, quandoq; maiorem Episcoporum partem concilia vniuersalia legitime celebrasse. Ex quib⁹ deducitur, hanc opinionem & veram esse, atq; vsu, & moribus receptã plerumq; fuisse.

¶ Idem cõfirmatur ex decisione Ioã. Andr. in cap. irrefragabili. de offi. ordi. vbi probat, concilium prouinciale vere legitimũ esse, & consistere apud præsentes, & in loco certo congregatos, etiam si maior pars absens fuerit: modo Archiepiscopus & Metropolitanus omnes legitime vocauerit. Sic deniq; eadem ratiõe, & dubio procul maiore, si Papa legitime omẽs vniuersi orbis Episcopos vocauerit ad generale concilium certo loco, & tempore celebrandum, penes eos, qui venerint, & præsentes fuerint consistet, ac residebit ipsum vniuersale concilium ecclesiam vniuersalem repræsentans. Quibus etenim, & alijs rationibus hanc ipsam sententiam in vniuersali concilio defendere conatur Ludoui. Roma. in consilio. ccclxvj.

¶ His tandem prænotatis colligitur, ad decisionẽ, & definitionem earum controuersiarum, quæ in ipso concilio vniuersali examinantur, considerãdam esse maiorem partem Episcoporum inibi præsentiũ. l. quod maior. ff. ad municipal. Nã si Episcopi præsentes in concilio repræsentant vniuersalẽ ecclesiam, huius quidẽ ecclesiæ vniuersalis iudiciũ illud erit, qđ ex maiori eorũdem Episcoporũ parte constabit. capitul. j. lxv. dist. notat Abb. in capitul. j. de pact. iij. notab. Quæ quidem conclusio regulariter procedit exceptis his casibus, quibus de iure maior pars collegij, aut vniuersitatis non sufficit.

¶ Quid autem agendum sit, vbi tanta adest absentium Episcoporum cõtumacia, vt contra ius diuinum, & humanum nolint ad concilium accedere, ita quidem in proteruiam inclinãtes, quod in ipso concilio duo vel tres præsentes tantũ interſint, solet quæri frequẽter? Et respõdetur hac in quæstione obseruandũ esse, an in ipso concilio adsit Papa, vel eius legatus, an non. Primo quidem casu, cum ibidẽ Romani Pontificis autoritas, & potestas cõcurrat, etiam si vnus tantum Episcopus ad synodum veniat cæteris legitime vocatis, & contumacib⁹, concilium hoc poterit examinare, & expedire absq; vlla dubitatione quid quid plenarium concilium potuisset definire. Etenim summa illa potestas Papæ hoc ipsum ius habet. cap. significasti. de electio. Si quidẽ ipse solus Pontifex summus potest causas Episcoporum ciuiles, & criminales, audire, & per sententiam de eis iudicare: atq; item vni tantum delegato committere. cap. veritatis. de dolo. & contu. cap. cum dilectus. de accusat. Secundo casu, verum est, totam ipsam vni-

uersitatem, totum ipsum collegium
ab vno tantum repræsentari, qui obe
dierit congregati concilium, & ad sy
nodi locũ statuto die accesserit. hoc
probatur in capit. cum nobis. de ele
ctio. & in capitul. gratum. de postu
lat. prælat. quo in loco gloss. elegans
notauit, ius vniuersitatis posse penes
vnum tantum existere, eunq́ habere
totam potestatem ipsius vniuersita
tis: quam conclusionem sequuntur
Hostien. Innocent. & Doctores cõ
muniter gloss. Bartol. & Doctores.
in. l. sicut. ff. quod cuiusq́ vniuersit.
nomi. Attamẽ quo ad concilium vni
uersale non est omnino hæc sententia
recipienda: imo priusquam ad hunc
statum res deueniat omnibus modis
est curandum, & elaborandum, vt ad
synodum iam indictam aliquot Epis
2 copi accedãt, qui possint de rebus ad
statum reipublicæ Christianæ perti
nentibus tractare. Alioqui non ha
berent Decreta, & Canones illius cõ
cilij, quod tantum ex vno constat, a
pud plebem ipsam eam autoritatem,
quæ necessaria est in similibus rebus
diiudicandis. Hic tamen casus, & si
possibilis sit, non est in Christiana re
ligione præcogitandus, nec expectan
dus: cuius ipse Deus Iesus Christus
ob eius immensam misericordiam cu
ram habet. Consultius equidem tunc
esset rem in aliud tempus com
modius differre, vt me
dela salubrior ad
hiberi pos
set.

Capitis duodecimi Summa.

1 *Concilium vniuersale an possit vacante sede apo-stolica per mortem, aut priuationem eligere futurũ Romanum Pontificem?*

2 *Ab initio ecclesiæ Christianæ electio Summi Ponti-ficis pertinuit semper ad Cardinalium collegium.*

3 *Concilium vniuersale vacante Summo Pontificatu an possit agere ea, quæ iure diuino vel humano per-tinent ad ipsius Papæ potestatem?*

Quid possit cõcilium vniuersale circa Romani Pontificis electionem vacante sede.

CAPVT DVODECIMVM.

Solet quandoq́ accidere, vt eo tempo
re, quo synodus vni
uersalis celebratur,
Apostolica sedes va
cet vel per obitum
Romani Pontificis, vel per eiusdẽ de
positionem eo casu, quo Summa illa
dignitate is priuari per concilium ge
nerale possit. Quæritur idcirco, an
electio futuri Pontificis pertineat ad
ipsum vniuersale cõcilium, an ad col
legium Cardinalium, cui alioqui iu
re ordinario cõpetit? quam quæstio
nem aliquot vtrinq́ rationibus ad
ductis disputabimus: tandem propo
sita eius resolutione quadam eam dis
soluemus.

Primum, quod ad concilium perti
neat electio Romani Pontificis vacã
te sede Apostolica, hac ratione proba 1
ri poterit. Nam cõcilium vniuersale

potest tollere legem humanam, quancunq; etiam ipsius Papæ constitutionem: legimus etenim sæpissime a conciliis generalibus reuocatas fuisse, & omnino abrrogatas Pontificias constitutiones: & hoc præsertim vacante sede secundum Archi. in cap. Porro. lxvj. dist. Domi. in consi. lxv. Innoc. Ioan. Andre. & Antoni. in cap. vlti. de sacram. non iterand. idem Domi. in dict. cap. Porro. quod vlterius apparet: quia concilium vniuersale habet potestatem ferendi leges, & Canones circa Christianæ reipublicæ administrationem in his, quæ ad ecclesiam Catholicam attinet, cum ipsam ecclesiam vniuersalē repræsentet: igitur & potestatem habet derogādi veteribus Canonibus, etiam Pōtificiis, si viderit eos minime conuenire regimini reipublicæ iuxta temporis varias mutatiões. cap. non debet. de cōsang. & affinit. atq; ita passim fit, & factum esse ab initio ecclesiæ renascētis constat.

¶Sed electio futuri Romani Pontificis ad Cardinales iure humano expectat, non diuino, nec naturali: igitur concilium vniuersale poterit huic iure humano, et positiuo derogare, atq; ideo non obstantibus Canonibus futurū Pontificē eligere. Quod autem iure humano, non diuino ad Cardinales pertineat Sūmi Pontificis electio, pbatur: quia nullibi in sacra noui testamēti scriptura expressum est, eam electionem ad Cardinales pertinere. Quod si quis dixerit, vere, & ratione iustissima electionē Papę ad clerum Romanę vrbis expectare, & sic ad sacerdotes, & diaconos, quos Papa ad regimē assumpsit illius diœcesis, cui specialiter ipse præsidet, atq; Cardinales hos esse sacerdotes, & Diaconos, qui Romanæ vrbis ecclesias administrât, qui in primitiua ecclesia nō dicebantur Cardinales, sed presbyteri, & diaconi vrbis Romę: adhuc profecto non constat ex sacro testimonio, qd' ius eligēdi successorē Petro datū fuerit clero vrbis Romanę. Imo ipse Petrus Clementē successorē sibi elegit. cap. si Petrus. & cap. seq. viij. q. j. Et præterea nō oībus Cardinalib', quibus hodie ius hoc eligēdi summū Pōtificē datū est, cōmittitur cura Romanæ diœcesis, nec alicuius ecclesiæ ipsi' Romanæ vrbis: sed tantum aliquot Cardinales eliguntur, vt sint ipsi' Romani Pōtificis in cōsiliis, & aliis rebus gerēdis coadiutores.

¶Secūdo, satis manifestū est conciliū vniuersale constare ex Christiani orbis Episcopis: quod in initio huius libri probauimus. Episcopi aūt Apostolis successere. cap. ecclesiæ. xxxv. dist. cap. legimus. xciij. dist. cap. videntes. xij. q. j. Ad Apostolos autē pertinuit ab initio ecclesiæ Sūmi Pōtificis electio saltē iussione diuina. capi. in nouo. xxj. dist. cap. sacrosan. xxij. dist. Quibus in locis apparet, Apostolos Petrū elegisse in summū ecclesiæ Pontificē: tametsi ea electio processerit ad exequutionē diuinæ institutiōis. Sed tamen illud inde deducitur, vtcūq; sit, ius elegēdi summū Pōtificē, & ecclesiæ principē ad Aposto

los pertinuisse. Igitur & nūc ad Episcopos eorū successores pertinebit, & sic ad vniuersale concilium.

¶ Tertio, electio capitis, & Principis alicuius collegij ad ipsum collegium pertinet, quēadmodū expressum est in iure Canonico, electionē capitulo: cathedralis ecclesiæ conuenire regulariter quoties Episcopalis sedes vacat: cap. j. cap. ne p defectu. cap. quia propter. cap. cōgregatio. de electio. cap. congregatio. xvj. q. vij. Abb. in cap. cum ecclesia. iij. colū. de elect. Domi. in cap. j. col. ij. xxj. dist. Ioan. Andr. in reg. quod alicui gratiose. de regul. iur. in. vj. Archi. in capi. quia igitur. lxiij. dist. Sed omniū prælatorū, & Episcoporū caput est ipse Papa vrbis Romę, & Christiani orbis Archipræsul: ergo ad Episcoporum collegium, & sic ad concilium vniuersale expectat electio Romani Pontificis.

¶ Quarto, quia rationes præmissæ tendūt ad probandū, qđ electio Romani Pontificis vacante sede per obitum, aut priuationem ipsius ad concilium pertineat, alia ratione speciali constare videtur. Nā iura humana, quæ Cardinalibus deferūt Summi Pontificis electionē, tunc loquūtur, cū ipse Sūmus Pontificatus vacat per mortem, aut per renunciationē. cap. licet. de electio. cap. vbi periculū. clem. ne Romani. iuncta gl. in verb. moriēte. Eodē tit. vnus autē modus vacatiōis alium, vtpote diuersum, ac distinctū non cōprehendit, text. optimus in ca. susceptū. de rescrip. in. vj. Ex quo deducitur, quod dispositio tractans de vacatione per mortē non obtinet in vacatione per renunciationē: nec itē ea, quę loquitur in vacatiōe per renūciationē, non habet locum in vacatione per mortē: cuius decisionis mētionem faciunt passim vtriusq; iuris interpretes. Ergo casus vacatiōis, sedis Apostolicæ cōtingens per priuationem propter crimen hæresis: nō per mortem, nec per renūciationē tanquā omissus manet penes dispositionē veteris iuris: ex quo electio Sūmi Pōtificis ad Episcoporum collegiū deferetur. dict. cap. in nouo. xxj. distinct.

¶ Quinto, hæc opinio probari videtur in cap. Si duo. dū ibi dicitur, quē diuinū iudiciū, & vniuersitatis cōsensus elegerit. et in cap. si trāsitus. lxxix. dist. ibi: liquidē totius in vnū cōuenerit ecclesiastici ordinis electio. Quibus quidem verbis plurimū ostenditur, electionē Romani Pontificis iure veteri ad synodum, seu concilium Episcoporū expectasse, præterquam quod idem probatur in dict. capit in nouo. & in cap. sacrosanct. xxij. dist.

¶ Sexto, his accedit, quod cum concilium vniuersale possit deponere: & autoritatem habeat ex causa hæresis priuandi Romanū Pontificem summo Pontificatu, idem poterit & ad illam dignitatem alium eligere. Quia secūdum iuris Pontificij Canones eius est instituere, cuius fuit destituere, ad cuncq; pertinet potestas instituēdi, ad quē iure potestas destituēdi expectat cap. j. & ij. de capell. monacho. cap. cum ex iniuncto. de hæretic.

¶ Postremo hanc opinionē, quod ad

concilium,non ad Cardinales,deuoluta sit potestas eligendi Summū Pōtificem,quoties sedis Apostolica vacare contigerit per priuationē,aut depositionē ipsius summi omniū Præsulis,veram esse censent Panormit.in cap.licet.iiij.colū.de electiōe.& Barbat.in cap.quod translationē, de off. legat.xxxij.colū. in eandem inclinat sententiam Ioan. Gerson in tract. de potest.eccles.considerat.xj. dum tandem concludit, cōcilium mortuo vel deposito Papa posse sibi constituere Principem,& caput.

¶His tamen non obstantibus quidā ex aduerso contendunt, non pertinere Romani Pontificis electionem ad concilium ipsum vniuersale nec mortuo nec deposito Papa:imoh anc electionem,etiam in hisce casibus ꝓprio iure Cardinalibus competere. Quā sententiam multis conantur probare, ex quibus plurima,quæ in contrariū ad probationem prioris opinionis adducta fuere,omnino cessare videtur: præsertim quia ita conuenit Christianæ reipublicæ propter tutiorem, ac faciliorem electionis modum.

¶Primum etenim illud obseruandū est, iam olim Romani Pontificis electionē ad Cardinales iure vestustissimo delatam fuisse: siquidem primatꝰ ecclesiæ catholicæ penes eum est, qui Romanæ vrbis Episcopus fuerit, nā is Petro Apostolorum principi succedit:ipsaq; Romana ecclesia principatū supra omnes alias habet iure diuino ex eo, quod Petrus Dei instituto Apostolorum princeps,eiusq; successores illius vrbis Episcopatū semper habuerint, eamq; dioecesim elegerint in primariam omnium aliarum Christiani orbis. quemadmodū latē probat Ioan.Echius in libro de primatu Petri. vnde satis consentaneum est ad clerum Romanum, eiusq; vrbis sacerdotes ratione maxima, & naturali,a diuinaq; lege deducta pertinē re electionem Episcopi Romanæ vrbis. Hi vero sacerdotes, & Diaconi, qui Romæ in primitiua ecclesia Romano Pontifici coadiutores in spiritualibus ministrandis aderant, solum nomen presbyterorum, & Diaconorum obtinebāt,parochiasq; ipsiꝰ Romanæ vrbis maxima cura,& solicitudine regebāt. Quibus deinde crescēte Christiana republica datus est a Romanis Pontificibus Cardinaliū titulus,qui non immerito ad maximū honorem euectus est: cū Cardinales cōsiliarij sint Romani Pontificis. Sic deniq; Cardinalibus ius competere eligendi Romanum Pontificem,probat tex. Nicolai Papæ in cap.in nomine domini.xxiij.distinctio.capi. si quis pecunia.& cap. si quis Apostolicæ.lxxix.dist.vbi est ad idem autoritas Stephani Papæ in cap.si quis ex Episcopis.præter decisiones in libris decretalium,sexti,& Clementinarum de hac re expresśim īscriptas. Ex quibus decisionibus nos illud notādum esse censemus,quod etiam si de Cardinalibus mentio vbiq; fiat postquā hic titulus dignitatis est ab ecclesia receptus,nihilominus deducitur idē ius eligendi Romanū Pontificem ab ini-

tio ecclesiæ propriū fuisse sacerdotū, & clericorum, qui apud Romanam vrbem spiritualia catholicis ministrabant. Vnde par est, vetustissimā, & ab initio ecclesiæ Catholicæ præualidam fuisse hanc summi Præsulis eligendi formam in hoc quidem sensu, vt ea pertinuerit ad clerū Romanū, eiusq; vrbis sacerdotes, & diaconos, siue Cardinales, vt modo, siue presbyteri, ac diaconi, vt olim appellentur. Igitur hæc eadem forma, hoc idem ius apud Cardinales manet, etiā in eo casu, quo per priuationem, & depositionē vacauerit Apostolica sedes: qua ratione palam tollitur tertium fundamentum prioris sententię. Nam & si caput sit Romanus Pontifex omnium Episcoporum, & totius ecclesiæ Catholicæ, collegium, tamen quod Romano Pontifici ꝓpinquius est, & cui ipse preſidet quantū ad rerū, & cōtrouersiarū cōsultationē, ac definitionē, vere censetur ipse Cardinaliū cōuentus, vt probatur in cap. per venerabilē. qui filij sint legit. cap. fundamēta. §. decet. de electio. in. vj. ad ipsum ergo electio præsidis, & p̄lati pertinet.

¶ Secundo hæc vltima opinio probatur in cap. ad petitionem. de accusat. vbi est expressa decisio, qua constat, electionem dignitatis, aut collationē beneficij vacantis per priuationem nō ad priuatū, sed ad eū, qui alioqui ius eligendi, aut conferendi habet, pertinere. atq; ita Docto. inibi communiter hanc opinionem sequuntur. Quam obrem Episcopus ratione delicti per sacerdotem in propria diœcesi commissi, licet possit eundem sacerdotem beneficijs omnibus ecclesiasticis priuare, etiā quæ delinquens in alia diœcesi obtinebat, non poterit beneficia, quæ extra priuātis diœcesim existūt, alicui conferre: sed eorum collatio pertinebit ad illum Episcopum, in cuius diœcesi beneficia existunt. Sic licet cōcilium ius habeat priuandi Papā summo Pontificatu, non tamē ex hac priuatione adquirit ius eligendi Romanum Pontificē, quod ante non habebat. Quo fit, vt qui certū esse censuerit, ius eligendi Papā vacante sede per mortē veri Pontificis ad Cardinales, non ad collegiū, & conciliū vniuersale pertinere, is necessario fatebitur, aut fateri debet, idē dicēdū fore, si summ⁹ Pōtificatus per priuationē vacauerit.

¶ Tertio, quamuis in dict. cap. in nomine domini. & in aliquot alijs constitutionibus, quę probant, electionē Summi Pontificis ad Cardinales expectare, fiat mentio mortis, & sic vacationis contingētis per obitum: profecto mens earundem constitutionum est, idem significare, quocumq; aliomodo summa illa dignitas vacauerit. Quod præter alia expressim deducitur ex capitul. j. capitul. si duo. cap. si quis pecunia. cap. si trāsitus. ad finem. lxxix. distinctione. capitu. vbi periculum. in princip. de electio. in. vj. vbi de vacatione in genere mētio fit: & præterea de generali Romani, & futuri Pontificis electione. Nam licet alioqui vnus modus vacationis alium non comprehendat, vt probatur in dict. capi. susceptū. de rescript.

in.vj.ipſum tamen vacationis genera le nomen quemcunq; modum vacationis continet.glo.in verb.vacat.in cap.quia ſæpe.de præbend.in.vj. & in cap.ſi propter.verb. vacabunt. de reſcript.& in capitu.cupientes.verb. vacationibus.de electio.codē.libro. alia in clementi.j.verb. morte.vt lit. pend.et in cle.ne Romani.de electio. §.ſane. verb.morte. quarum opinio communis eſt. Quamobrem cum Canonicæ conſtitutiones ſtatuerint, quod vacante ſede Apoſtolica electio futuri Pontificis ad Cardinales pertineat, id obſeruandum erit quotunq; modo vacauerit Apoſtolica ſedes: nec refert vacet per mortem, per renunciationem, aut per priuationē. Atq; ita ex hac ratione ceſſat quartum fundamētum, quod adduximus ad probationem prioris opinionis. Prę́ſertim quarta illa ratio ceſſat,etiā ſi præmiſſa reſponſio non poſſet admitti: quia vacatio per mortem expreſſa in aliqua conſtitutione, aut lege, quemuis alium vacationis modū comprehendit, niſi ratio diuerſitatis reddi poſſit: quod ſecus erit,ſi vnus vacationis modus expreſſus fuerit in reſcripto ad beneficia, quod odioſum cenſetur.capi. quamuis.de præbend. in.vj.nam tunc alius vacationis modus non includitur: ſicuti probat deciſio tex.in dict.cap.ſuſceptum, quæ in hunc ſenſum eſt accipienda. Atq; hinc dari poteſt vera ratio ad gloſ. in dict.cle.j. vt lit. penden.verb. mori. præter eam,quā modo explicuimus. de quo late Feli.in cap. ad petitionē. de accuſat.colū.j. & idem in capit.in noſtra corolar.xxiij.de reſcript.

¶Quarto in huius ſententiæ confirmationem facit glo.in capitul. ſi duo. lxxix.diſt. verb.cōtra fas. dum dicit, quod ſi electio Romani Pontificis facta fuerit illegitime ita quidem, vt de eius vi controuerſia ſit,& tandē pronuntiatum fuerit electionem inualidam eſſe: aut cum duo contenderent de Pontificatu,concilium ipſum vtrā q; electionem nullam fuiſſe decreuerit,nihilominus futuri Pontificis electio ad Cardinales deferenda eſt.

¶Quinto ſi exacte conſideremus rationes, quæ vſum iſtum iam olim induxerunt, & quibus innituntur Canones,electionem Romani Pōtificis Cardinalibus deferentes, eaſdem locū habere deprehendemus in hoc caſu, cum vel durante concilio vniuerſali vacat Apoſtolica ſedes, vel p ipſum conciliū Romanus Pontifex priuat' fuerit ſumma illa dignitate. Nam ſi facilior, & tutior electionis modus hic apparet, quia Cardinaliū numer' nō ita late patet ac Epōrū, nec cōfuſio timēda eſt ob multitudinē inferiorum Pontificū: Hæc eadem ratio obtinet quocūq; modo vacauerit Aplica ſedes. Similiter ſi teneamus eā eſſe rationē, quod Cardinaliū collegiū ſit ipſi Romano Pōtifici proximū, eiq; aſſiſtat,& miniſtret in adminiſtratiōe totius Chriſtianæ reipublicæ: iſthæc itē ratio vniuerſalis eſt, nec magis in vno quā in alio caſu militat. Quod ſi eadē eſt vbiq; ratio, idē erit vbiq; ſeruādū.l.regula.§.vl.ff.de iuris et fact.

ignor.l.ij.§.si mater.ff.ad tertulli.l.nomen debitoris.§.vlti.ff.de lega.iij.

¶Nec quidquã oberit, quod quidam existimauerint, hos canones deferentes electionẽ Summi Pontificis Cardinalib⁹, ius vetus corrigere, atq; ideo etiam ab eadem ratione minime fore extendendos ad alium casum, quã expressum.glo.& doct.in authẽ.quas actiones.C.de sacrosf.eccles.vbi Iason.Domi.& Franc.in cap.j.de tempori.ordi.in.vj.tradũt Feli.& Deci.in cap.translato.de constit.Doct.in l.si cõstante.super.ix.q.Bart.primæ partis.ff.solut.mat.& in cle.dispendiosam.de iudic.

¶Etenim falsum est ex his, quæ modo explicuimus: siquidem iure etiam vetustissimo ab initio ecclesiæ Catholicæ semper electio futuri Sũmi Põtificis Cardinalibus, idest presbyteris, & Diaconis Romanæ vrbis, delata fuerit: & sic ad collegium illud sacerdotum, & Diaconorum, qui Romæ summo Põtifici consilio, & opere ministrabat in religionis, ac reipublicæ Christianæ administratione, vnde iura Pontificia, quæ expressim explicarunt, electionem Romani Pontificis ad Cardinales pertinere, non sunt iuris veteris correctoria: imo veteres cõstitutiones, & ecclesiæ antiquissimũ morem confirmant.

¶Deinde quãuis & hæc decreta correctoria forent, nihilominus extensio ab eadem ratiõe ex vacatiõe per mortem ad aliam quamcũq; vacationem fieri posset, foretq; admittẽda: quia casus vacationis per mortem expressus fuit a Canonibus antiquis exempli gratia: non vt dispositionem induceret cap.in nomine domini.xxiij.dist.cap.j.lxxix.dis.Quo quidẽ casu dispositio correctoria extenditur ab eadem ratione: quia exẽpla non restringunt regulam.l.j.§.quod vulgo.ff.de vi,& vi armat.l.dãni infecti.ff.de damno infect.quod in materia extensionis notant Ioan.de Imol.in.l.si vero.§.de viro.col.viij.ff.solut.matri.Philipp.Franc.in cap.j.de tempo.ordinat.in.vj.Fallentia.xvij.optima glo.in cle.j.verb.Præsidentes.de rescript.& præterea, quoties iure antiquo regulariter duo, vel plures casus æquiparantur in ea materia, de qua agitur, dispositio etiã correctoria ex vno casu ad alium extenditur: secundum ea, quæ Bart.& Doct.notãt in l.Marcellus.ff.ad trebelli.in princi.Cinus.Bart.& alij in auth.sed cũ testator.C.ad.l.Falci.Bart.& Alex.de Imol.in.l.ij.ff.de legat.j.Quorũ sententia cõmunis est.Sed in hac materia de collationibus, electiõibus, & prouisionibus ecclesiasticarũ dignitatum paria cẽsentur a iure Pontificio, quod dignitas vacauerit vel per mortem, vel per renunciationem, aliũ ve quẽcunq; modũ: quia id tantũ est attendendũ, quod vacatio cõtigerit, cui quidẽ vacatiõi succurritur ex dispositione iuris.atq; ita.gloss.videtur hoc prænotare in capitulo.j.verb.prædecessor.de renunciatione in sexto & in capitulo.si propter tua debita.de rescript.eodem libr.imo in hac quæstione, & specie de vacatione Summi

Pontificatus id videtur satis expressum esse in his cōstitutionibus, quas modo ex decretorū libro, & ex alijs retulimus.

¶His denique rationibus, & autoritatibus poterit ista posterior opinio ꝓbari: quā & plures iuris Canonici interpretes tenere videntur, præsertim Panormit. in disputatione incipienti Episcopus, & quidam Parmensis in.v.dubio.idem Abb. Anania. & Fel. in cap. ad petitionē.col.j. de accusat. vbi Francis. Aret. eandem sequitur. & Ioan. Selua in tract. de beneficio. ij.part.q.xxij.colū.iij. Antoni. Rosellus in tract. de concilijs.in.q.de forma eligendi Papam. & in.q.an verus Papa tempore schismatis possit cogi ad cedendum Pontificatui.

¶Non oberunt, quæ in cōtrarium adducta fuere pro prima opinione. et primum fundamentum ex eo cessat, quod licet concilium habeat autoritatem statuendi Canones, et leges ad religionis Christianæ administrationē tamen id verum est viuente Papa, cuius autoritate concilium ipsum congregatū fuerit: at eo mortuo nihil tractare debet, nec potest conciliū ipsum nisi ea, quæ pertineant ad futuri Pontificis concordem, & quietā, ac salubriorem electionē: hoc etenim primū curare debet, vt caput ecclesiæ Catholicæ constituatur, nec tunc de mutandis veteribus Canonibus agere debet donec ecclesia pastorem legitimū habeat. Sic denique, quod concilium vacante Summo Pontificatu nō possit cōstitutiones Romani Pontificis tollere sensit decisio tex. in cap. j. de libelli oblatio. tenēt Abbas. & Barbat. in clem. ne Romani. de electio. primum etenim, vt diximus, curare diligentissime debet synodus vniuersalis, vt princeps ecclesiæ eligatur iuxta veterum Canonum Decreta: nec quidquam de mutandis canonibus cogitare debet interim, dum ecclesia vniuersalis est viduata pastore: sine quo receptum est, concilium nihil aliud posse quam ea, quæ necessaria sunt ad futuri Pōtificis electionē: idest quo ad curam, & solicitudinē huius muneris. Quod auferendum non est a Cardinalibus, quibus ex canonicis constitutionibus competit, cum id concernat veterum Canonum mutationē, ac derogationem. Atque ita respondēdum erit primæ ratiōi, quàm pro prioris opinionis cōprobatiōe adduximus: etenim nisi id omnino conueniat religioni Christianæ, nec possit futuri Pontificis electio ad id expectari: minime debet, nec valet vniuersale concilium vacante Apostolica sede veteres canonicas constitutiones tollere: maxime in hac specie ne collegio sāctissimo Cardinalium derogetur.

¶Secunda ratio prioris opinionis ex eo tollitur, qđ Apostoli nō propriē adsumpserūt Petrū eorū electione in ecclesiæ principem. Petrus etenim a Chr̄o Iesu adsumptus fuit, & electus vt esset ecclesiæ caput, & aliorū omniū Apostolorū princeps: ipsi vero Ap̄li hāc diuinā Chr̄i Iesu electionē exequutiōi mādarūt suscipiētē ī principē eum, qui a Chr̄o Iesu datus sibi

fuerat, qđ ex Catholicis decretis manifeste apparet: vnde constat, electionem Summi Pontificis non pertinere ad totius orbis Episcopos.

¶ Tertia ratio deficit, eiq; rñdetur ex his, quæ diximus in prima ratione huius posterioris opinionis. Nã præter maximã cõfusionẽ, quæ in electione futuri Põtificis cõtingeret, si ea fieri deberet per Episcopos vniuersi orbis, ꝓfecto nõ ita apte omniũ Epõrũ collegio, vt Cardinaliũ conuẽtui, ius eligẽdi futurũ Pontificem conuenit.

¶ Quartum fundamentũ prioris sententiæ etiã superius fuit improbatũ his, quæ tradidimus in secũda, & tertia huius posterioris partis rationibꝰ: inde sane satis colligitur, parũ vrgere quartam prioris opinionis rationẽ.

¶ Quinto, autoritates adductæ ex Gratiano in cap. si duo. & in ca. si trãsitꝰ. lxxix. dis. minime probãt priorẽ opinionẽ: cũ inibi vniuersitas illa, cui electio Põtificis cõpetit, vere intelligẽda sit, et ꝓprie adsumẽda ꝑ Cardinaliũ collegio. Nã hoc apud Romanã vrbẽ ꝓximũ est Sũmo Põtifici, qui cũ Cardinalibus res arduas deliberat & in examẽ deducit, an cõueniãt religiõis Chrĩanæ regimini. de hoc vero ecclesiastico ordine, id est, de Cardinalium conuentu intelligẽdi sunt prædicti Canones.

¶ Sextum fundamentum regulariter procedit in hoc quidem sensu, vt qui iure ordinario habet ius instituendi, idem habeat ius destituẽdi: & qui potest destituere, aut priuare quẽpiam beneficio, possit & illud conferre: nisi aliud ex speciali iure, & ratione cõstitutum fuerit: tunc etenim licet possit quis clericum beneficio priuare, non tamen poterit beneficium illud conferre: nempe cum speciali ratiõe illius beneficij collatio non ad ordinarium, sed ad aliũ pertineat: quod potest contingere pluribꝰ ex causis. Quia Episcopus est iudex ordinarius ad puniẽdum clericos, & idcirco ad priuandũ eos ob crimina ecclesiasticis dignitatibus, & beneficijs, quæ frequenter cõferre non poterit ex eo, quod beneficia pertineant ad electionem alicuius collegij, vel præsentationem patroni laici, aut ecclesiastici, vel sunt intra alienam diœcesim, & ideo conferri debẽt ab illius diœcesis Epõ. Igitur quãuis vniuersale concilium priuare possit Summum Pontificem ob crimẽ hæresis summa illa dignitate: non tamẽ ex hoc sequitur, quod possit futurum Pontificẽ eligere, imo eius electio ad Cardinalium collegiũ pertinet. text. singul. in dict. capi. ad petitionem. de accusat.

¶ Vltima ꝓbatio ab autoritate Doctorũ adsumpta ꝓbabilis est, nõ necessaria: id circo rationibus, & canonũ autoritatibus agendũ est. Qua in re opinamur fortiores esse rationes, quibus vltima opinio superius fuit comprobata. Quamobrem ad huius quæstionis resolutionẽ duas proponemus cõclusiones, quarum prior in hunc modum exponitur. Apostolica sede per obitum Summi præsulis vacante, etiam si eo tempore vniuersalis ecclesiæ synodus celebre-

tur, electio futuri Pontificis ad collegium Cardinalium, non ad ipsam synodum pertinet: quamuis Papa obierit in eo loco, vbi concilium congregatum est.

¶Secunda conclusio. Electio futuri Romani Pontificis Apostolica sede vacante per renunciationem, aut priuationem, ad collegium Cardinaliũ: non ad vniuersalẽ conciliũ expectat. Posterior hæc cõclusio in contrariũ aliquot autores habet: prior vero neminem fere præter vnum Gersonem qui sub obscure diuersum sensit.

¶Tandem non obstat sessio quadragesima concilij Constantiensis, vbi definitum fuit, electionem futuri Pontificis tunc ecclesia vacante faciendam esse per Cardinales, & per Episcopos eis adiungendos: sex inquam ex qualibet natione: eademq; forma electus fuit Martinus Quintus. Nam id in eo casu ex cõsensu Cardinaliũ factũ fuit, concordiq; concilij vniuersalis, & ipsorum Cardinalium sententia. id etenim status ille Christianæ reipublicę expostulare videbatur: sicuti ex ipsa quadragesima sessione cõstat. vnde quoties simile dissidium in ecclesia Catholica cõtigerit, æquissimum, ac iustissimũ erit, quod Episcopi in vniuersali concilio cõgregati simul cum Cardinalibus conueniant in eum sane modum, vt electio per Cardinales fiat aliquot ex ipsis Episcopis ad electionẽ admissis: ne schisma, perniciosissimum ecclesiæ malum, protinus erumpat.

¶Quæstioni huic, quam modo disputauimus, proxima est & altera, quæ solet tractari, an concilium vniuersale possit vacante sede Apostolica exercere, atq; expedire omnia, quæ Romanus Pontifex agere, & expedire posset? Et quibusdam visum est, concilium vniuersale posse vacante sede omnia, quæ Papa expedire posset.

¶Primo, quia concilium repræsentat ecclesiam vniuersalem. capi. sicut. in fine. xv. distin. tradunt Præpo. in cap. j. eiusdem dist. Abb. in disputatione. Episcopus. & notatur in capi. significasti. de electio. Sed dubio procul vniuersalis ecclesia claues a Christo accepit, cum eas caput ecclesię Petrus acceperit. cap. quodcũq;. xxiiij. q. j. igitur concilium vniuersale poterit ea agere vacante sede, quæ Papa agere potuisset. Inquit etenim Augustinus super Iob. cum Petrus claues accepit, ecclesiam sanctã significauit.

¶Secundo huic parti plurimum fauere videtur autoritas concilij Constantiensis, quod vacante sede Apostolica cõfirmauit Archiepiscopum Lugdunensem, dedit indulgentias, ac dispensauit sup irregularitate, & alia itẽ fecit, quæ videtur ad Romani Põtificis dignitatẽ, & officium pertinere sicuti referunt Card. a Turre Cremata & alij quæstionẽ istam tractãtes.

¶Tertio non deficiũt huic opinioni autores: siquidẽ Card. in tract. vnionis. quæstio. j. scribit, vacante Summo Pontificatu regimẽ vniuersalis ecclesiæ penes ipsam fideliũ congregationẽ residere: & penes ipsammet ecclesiam, quæ fidelium congregatio

est.cap.ecclesia.de consecrat.distinct. j.capitul.debitum.de bigamis.capit. fundamenta.de electio.in.vj. ipsa autem fidelium congregatio, seu collectio quatenus ad regimē, & clauium exercitium nihil aliud est, quam ipsorum Episcoporum, & prælatorum congregatio: quemadmodum satis apparet ex diuinæ scripturæ testimonijs: non enim Deus dedit Claues cuilibet fideli, sed Petro, Apostolis, & eorum successoribus, cap.in nouo.xxj.dist. His accedit quod Bald. notat in.l.nō ambigitur. ff. de legib. dicens, quod mortuis electoribus Romani Pontificis, Pōtificalis autoritas manet apud ipsam ecclesiam, id est fidelium collectionem. Eandem opinionē probat autoritas Ancha. qui in consi. ccccx. conatur asserere, vacante summo Pōtificatu posse Episcopos iure ordinario expedire ea, quæ iure Pontificio Papæ sunt reseruata. Quod si hoc liceat cuilibet Episcopo, fortius licebit vniuersali Episcoporū synodo. Sic sane in hanc partem videtur inclinare Pauinus in tract.de potest.capi.sede vocant.in præludio sexto.

¶Contraria tamē sententia maximas rationes habet, atqꝫ item autoritates: præsertim illud eam probare videtur, quod iam non semel dictum iterum est repetendum: nempe conciliū vniuersale autoritate Romani Pontificis eo viuente congregandum esse: non alias regulariter: eo tamē mortuo posse quidem cōgregari ita tamen, vt primum curam, & solicitudinē habeat, quod vniuersalis ecclesia principem, Petriqꝫ successorem cōsequatur, ne ecclesia sit sine capite, a quo Christi vicariꝰ solicite administretur. Etenim & si quandoqꝫ posit vniuersalis synodus congregari superstite Papa: ea cōgregatio imprimis illud curare debet, vt ecclesia legitimum Pontificem habeat: vel vt præsens Pōtifex admonitionibus, & exhortationibus ad legitimum ecclesiæ vniuersalis regimē inducatur. Quamobrem concilium vniuersale vacante summo Pontificatu in cæteris negotijs cōquiescere debet, donec summus ecclesiæ pſul Canonice eligatur. vnde Panormita. in cle.ne Romani, de electio. super glos. non consonam. asseuerat, concilium vniuersale vacante summo Pontificatu non posse tractare, nec expedire ea quæ summo sunt Pōtifici reseruata.

¶Non oberit ratio prima in contrarium adducta: quia & si verum sit ecclesiam vniuersalem repræsentari a concilio vniuersali: id etenim locum habet, vel cum in eodem concilio Papa præsens est, aut eius legati, vel in his, in quibus absqꝫ Romano Pontifice potest vniuersale concilium congregari: alioqui absqꝫ Romano Pontifice non repræsentatur ecclesia vniuersalis. Igitur quo ad curam, & solicitudinem, quod ecclesia vniuersalis præsidem habeat, concilium vniuersale repræsentat vniuersalem ecclesiam vacante summo Pontificatu: itē & quo ad ea, quæ conducunt ad vtilem Christianæ religionis administrationem, nec possunt commode differri in tempus futuri Pontificis. Illud

vero,

vero, quod adduximus de potestate data Petro nomine ecclesiæ vniuersalis, ita intelligendum est, vt Petro datæ fuerint a Christo Iesu claues, & per eũ eius successoribus, omnibusq; futuris ecclesiæ prælatis per deriuationem ab ipso Petro. Atq; ita datæ fuerũt ecclesiæ vniuersali. idem respõdetur ad tex. in cap. omnibus. xxiiij. quæstione prima.

¶ Autoritas præterea Constantiensis cõcilij, quæ secundo loco pro priori opinione fuit adducta, ex eo tollitur, quod concilium illud in his, quæ edidit, & sanxit nõ omnino, nec in totum fuerit receptum, nec approbatũ per Romanos Pontifices, vt apparet ex Bullis Martini quinti, & Nicolai quinti. Qui quidem in pertinẽtibus ad fidem, & in damnatione articulorum quorundam hæreticorum, & in quibusdam canonibus de censuris, & beneficijs, non in alijs, ea receperunt. Vel acta illius synodi sunt intelligenda iuxta opinionem, quam statim exponemus.

¶ Sed vt rem istam diligentius explicemus, constanter asseueramus, concilium vniuersale vacante Sũmo Põtificatu posse nõ expectata Pontificis electione tractare, atq; expedire ea, quæ concernunt vtilitatem, & cõmodum Christianæ reipublicæ: nec tute possunt differri in tempus futuri Pontificis. Hæc conclusio probatur ex his locis, & autoritatibus, quas modo tradidimus ad probationem prioris opinionis. Nam iuxta hanc distinctionẽ possunt intelligi quæ vtrinq; adducta fuere. & in specie istam opinionem probat Card. a Turre Cremata lib. iij. de eccles. capit. xlj. & sequentibus. idem tenet Felin. in capit. querelam. de iure iur. colũ. vlti. post Petrum de Mõte in sua monarchia.

¶ Vnde apparet sententiam Abb. in dict. clem. ne Romani. veram esse in his, quæ commode possunt differri in tempus futuri Põtificis, nec statim exigunt celerem expeditionẽ. Ea etenim reseruanda erunt futuro Pontifici, qui autoritate Apostolica ea omnia expediet vel cum consilio Cardinalium, vel rebus discussis, atq; examinatis in concilio vniuersali totius ecclesiæ.

HÆC DE PRIMA huius operis parte.

SECVNDA huius operis pars.

TIAM, si post Christi humani generis Saluatoris ad cælos ascensum, a deo ecclesiā Catholicam hæreticorum insani errores cōcusserint, vt semper vniuersales synodi hac fuerint ratiōe potissimū cōgregatæ, nihilominus in hisce cōuentibus præter fidei negotia de moribus, similibusque rebus maxima cura, & diligentia actū esse legimus: quo Christiana respublica hæresibus extirpatis, optimis moribus instituta verā religiōnē, legē naturalē, & pietatē autóres sequeretur. Qua ratione nostra hac ætate non minor est his in rebus cura adhibenda, quā fuerit olim initio renascētis ecclesiæ a Catholicis, & sanctissimis Episcopis adhibita: siquidem tot in Germania nouis a Luthero cōmētis hæresibus, alijsque perniciosissime ab eodē, & eiusdē professionis hominibus ex veterū iam per ecclesiā extincta labē denuo suscitatis, cū hoc malo ecclesia præmeretur de moribus vere Christianis fere actū est, antiquorū patrū, & sacrosanctis conciliorū Decretis vel aperto Marte, vel calūnijs quibusdā excogitatis in totum explosis alijsque varijs sceleribus, quod dolendū est, prætextu disciplinæ ecclesiasticæ cōmissis. Igitur inde Sūmi Pontificis & Cæsaris anxia cogitatio in reipublicę vtilitatē studio feruēs plenissimo, maximo conatu elaborauit ac tandem effecit, vt Christiani orbis Episcopi in vnum conuenirēt de rebus fidei prius tractaturi, ac deinde mores hominum hoc sęculo a vera pietate, & disciplina plurimum deuios editis de vtraque re Decretis reformaturi. Nos vero cum Tridentū alijs cum Hispaniarum Episcopis huius negotij causa accesserimus, mult a quidē excogitauimus, quæ præ cæteris nobis digna visa fuere, vt vel in hoc Catholico, & œcumenico cōuētu, vel ab ipso Summo omniū Pontifice salubri remedio censurā acciperet. Quæ tamē apud ipsos patres reuerendissimos ob intermissionē cōcilij, & nostrū in Hispanias reditū exponere, vt iam diu optaueramus, minime potuimus. Quod ægre ferētes hoc libello in publicum emittere decreuimus rationē delegati oneris reddere animo alacri cupiētes. Horum autē quædā, si ab ipsa synodo fuerint instituta, percipiet lector quāta solicitudine ipsa fuerimus præmeditati, alia vero ipse priuatim examinabit, quo facilius animum auertat ab his, quæ praua in directa fuco pietatis miris fraudibus, & dolis, quotidie transformantur ad animarū pesti

lentissimam inuasionem: quæ eas dæmonum calũnijs minime oppugnare formidat.

¶ De summo Christi vicario.

.§. Primus.

PRimum quidẽ illud tenemur continuis precibus, qui Christi fidem sacro baptismatis Lauacro professi fuimus, ab optimo Iesu ex animo postulare, vt eius in militanti ecclesia vicariũ, summũ omniũ pastorẽ moribus, & mente tanto muneri dignis ita instituat, quod in omnes ecclesiæ p̄latos ipsius principis institutio quo ad mores priuatos, iustitiæ, pacisq; cultũ sensim deriuetur. Sic etenim fiet, vt in capite, & mẽbris Christianæ reipublicæ nihil vnquã contingat, quod a rectitudine deuiũ sit, aut correctionẽ exigat. Verũ, qđ nostris sceleribus tribuendũ est, quãdoq; caput ipsum, a quo omnes instituimur, pluribus oppressum doloribus, & ægritudinibus magno subditorum malo nutat, ac mentis oculis præ capitis dolore cæcitate obtusis, nec quid sibi salubre sit, nec quid mẽbris cõueniat, aut inspicere, aut meditari valet. Vnde tot vitia, tot calamitates grex ipsa Christi pastore obdormiente, necvsquã a Lethargi grauedine conualescente patitur, vt se ipsam sua sponte plerunq; Luporũ manib⁹ cõmittat, nullũ aliud auxiliũ iam sperans, quã quod diuinitus exhibere dignatus fuerit misericors, & miserator dominus. Proinde cauere debet summus ipse Põtifex, ne dũ agitur de morum censura quo ad clericos, Episcopos, & alios Christianæ professionis homines, omnino in ipso omniũ capite requiratur ea morũ correctio, atq; institutio, quæ a subditis exigẽda est. Præsertim vero illud est ab eo postulandũ, ac deniq; summopere petẽdũ, ne in curia Romana oscitanter tot simoniaci cõtractus, tot manifestę fraudes, tot aduersus naturalia, & diuina iura scelera palã in totius orbis scandalum permittantur. Id etenim adeo iam in omniũ aures deuenit, vt a nemine, nisi is prorsus alienus a sensu, inficiari cupiat, taceri possit. Quid nãq; obsecro refert a Romana vrbe in totum Christianismũ leges Põtificias maxima cũ maturitate latas, easdẽq; sanctissimas passim & nunc, & olim processisse: si apud eandẽ vrbẽ, vbi iustitiæ cultus in exemplũ orbis vniuersi publice instituitur, frequentissime manifestis dolis, & obliquis quibusdã cõuẽctionibus, iura ipsa diuina, & humana violẽtur? Profecto nihil, aut sane parũ tanta Summorũ Pontificũ cura in ferendis legibus proderit, nisi his accesserit, diligens solicitudo ad earundẽ legũ sincerã, piam, & dolis immunẽ exequutionẽ. Nam & præter alia, quæ huic malo medelã exhibere poterunt, id vnũ præsentaneũ remediũ erit, quod vrbs omniũ princeps his purgetur hominibus, qui perditissimis moribus præditi non alio conãtur titulo sacerdotia, et ecclesiastica beneficia adquirere, quã simoniacis pa-

ctionibus, dolis, captiosisq; quibusdã excogitatis litib' in totius reipublicę perniciem maximam.

¶ Deinde benigne cum ipso summo, maximoq; Pôtifice agendũ erit, qđ' zelo optimi principis dignetur a frequẽtissimis dispensationibus abstinere: quæ per importunas preces, falsis plerunq; suggestiõibus, ac sæpissime pecunia in preciũ satrapis, & familiaribus erogata facilime impetrantur. Etenim sicuti Romanus Pontifex iure dispẽsationes aduersus humanas leges elargiri potest, & idem quandoq; æquum est, ac reipublicæ conueniẽs, ita oportet easdẽ non nisi ex causis iustissimis, gratisq; concedi. In summa, quia de his inferius speciali quodã paragrapho tractabitur, Romanæ sedis antistites omnium principes exhortamur, vt zelo spiritus, non carnis de cętero gubernent, non regnent: sint dispensatores, non domini. Sic sane multa penitus extinguẽtur, quæ militãtẽ ecclesiam, eiusq; subditos in scãdalum hactenus adduxerunt.

¶ De Cardinalibus.

§. Secundus.

DE hac Cardinalitia dignitate acturi præmittemus libẽter ad huius rei qualem qualem cognitionẽ, Cardinales ex eo appellatos hoc nomine fuisse, qđ' Christiana respublica ab ipsis, vt fores a Cardinibus, regitur: quemadmodũ exponit tex. in concilio Basiliensi tit. de numero et statu Cardina. vel quia præcipuam ante omnes alios in republica Christiana regenda curam gerant, cum sint ipsi summo Pontifici a cõsilijs. Nam autore Sipontino Cardinale id dicitur quod pręcipuã vim in ea re, de qua tractatur, habet. Sic Cardo causæ, & Cardo litis dicitur totius litis, & controuersiæ summa, a qua quæstionis definitio pẽdet. Vnde Quintilianus oratoriarũ institutionũ. lib. xij. ca. viij. Negligẽtiũ oratorũ, inquit, nihil refert vbi litiũ cardo vertatur, dum sint quæ extra causam ex personis, ac cõmuni tractatu locorum occasionẽ clamandi largiantur. idem Quintilianus libr. v. capit. xij. eadem loquendi formula vtitur: qua & Cicero vsus est dum dixit: in eo Cardo rei vertitur: pro eo, quod est, ex hoc tota res pendet. Hinc & in libro officiorum Theodosij: maiores quidam magistratus Romani orbis præfecti Cardinales appellabantur: vt præfectus Asiæ, præfectus Africæ, & his similes.

¶ Hac ratione diuus Gregorius non semel Cardinalem appellat eum, qui in aliqua ecclesia constituatur præcipuam præ cæteris spiritualis regiminis curam habiturus absq; titulo, & nomine Episcopi. Quod manifestũ est apud eundem lib. v. Epistolarum in Epistola ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum. cap. fraternitatem. lxxj. dist. Habiturus, inquit, licẽtiam illum diaconum nostra autoritate interueniente ecclesiæ tuæ Deo propitio Constituere Cardinalem,

idem lib. ij. Epistolar. Epistola. xxv. ad Ioannem Squilitanum Episcopū ait: Te Ioanē Lesmianę ciuitatis episcopum in ecclesia Squilitana Cardinalem necesse duximus cōstituere sacerdotem. idem Gregorius libro. ij. Epistola. xiij. ad Agnellum Episcopum, mortuo quodam Petro gentis Tarraconensis Pontifice, eundem Agnellum Cardinalem constituit sacerdotem: quasi primum administratorem curæ spiritualis in ecclesia, quæ pastore vacabat: quam item autoritatem & idē Gratianus retulit in capit. relatio. xxj. quæstione. j. quibus satis probatū extat, quid hæc dictio Cardinalis hac in parte significauerit olim, quid item & nunc significet: cum dignitas hæc sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium fuerit in Summum euecta dignitatum ecclesiasticarum culmen. Etenim his ex causis nomen hoc deductum fuisse opinamur.

¶ Huius vero dignitatis origo quibusdam incerta videtur: nos tamen eā iuxta veterū historias ab ipsis initijs ecclesiæ Catholicæ deducemus. Nā & si lege Euangelica titulus hic institutus non fuerit, nihilominus a ratione naturali, veteri diuina lege, & ab ipso Christo Iesu officium hoc Cardinalium procedere, ac deriuari potest. Ratio siquidem naturalis dictat, principem summum, qui de regimine reipublicæ acturus est, eiusdemque curā diligentissime habiturus, consiliarios quosdam debere sibi adsciscere, cū quibus, quæ agenda sint, aut vitanda ad rempublicæ salutem consultet, & deliberet: quique eidem in ministerio coadiutores existant. Hoc ipsum a veteri diuina lege manifeste colligitur. Deuteronomij cap. xvij. Exodi. ca. xxiiij. Erant sane, vt inibi scriptum extat, septuaginta sacerdotes populi seniores, quibus solis arcana communicabantur, quos Origenes appellat cōsiliarios mirabiles. ad idem optimus text. in capit. xviij. Exodi. Elegans apud nos constitutio in cap. per venerabilem. qui filij sint legit. Et in cap. fundamēta. §. decet. de electio. in. vj. vbi probatur, Romanæ ecclesiæ Cardinales institutos fuisse, vt Summo Pōtifici adsisterent consiliarij, & coadiutores ad exemplum seniorum, qui cū summo sacerdote de rebus arduis sub veteri lege iudicabāt: aderant & Christo Iesu Apostoli veluti ministri, iuxta illud Lucæ capit. xxij. Vos estis, qui permansistis mecū in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum. Petrus item ipse primus Christi vicarius Apostolos habuit coadiutores, qui eidem adsistebant in administratione Summi officij. vt patet actu. cap. xv. testanturque Isidorus, & alij, sanctum Petrum in urbe Roma delegisse sibi adsistentes sacerdotes, & diaconos. Nam in sui adiutoriū adsumpsit Linum, Cletum, & Clementem. Linus autem crescente ecclesia presbyteros decē, & Episcopos vndecim consecrauit. idem fecere cletus, & Clemens. Primus autem omnium Euaristus Quartus Papa a Petro ecclesias vrbis Romanæ cū plebibus presby-

teris diuisit: quibus quidem presbyteris titulos earundem ecclesiarum contulit, vt earum in spiritualibus rectores essent: quemadmodum ex Platina, & alijs constat. Et hi ecclesiarum vrbis rectores presbyteri tunc dicebantur vrbis Romæ, quos quãdoq; Romanus Pontifex veluti eius lateris cõsiliarios ad synodos legatos mittebat: eisdemq; negotia aliquot ardua committere solitus erat: quod plerisq; in locis patet. Præsertim Syluester Papa misit ad concilium Nicænum Osium Cordubensem Episcopum, Victorem, & Vincentium presbyteros vrbis Romæ. Ad concilium Africanum misit Zozimus Papa Faustinum Episcopum Potentianũ, Philippum, & Asellum presbyteros vrbis Romæ. Igitur hinc apparet, olim in primitiua ecclesia Romanos Pontifices ad consultationem negotiorũ, ad ministerium curæ spiritualis, habuisse Romæ viros sanctitate, & eruditione insignes, presbyteros quosdã, alios diaconos, quibus ecclesiæ vrbis Romanæ in titulos distributæ erãt. Hi dubio procul sunt, qui postmodum Cardinales fuere nuncupati, & modo maximo cum honore nuncupantur.

¶ Quo autem tempore nomen huius dignitatis Cardinalitiæ cœperit satis est apud autores controuersum. Quidam etenim opinantur, Pontianum Papam anno Domini ducentesimo tricesimo secundo, Cardinales creasse, ac deinde Marcellum primũ anno Domini tricentesimo quarto. Idq; conãtur probare autoritate Platinæ, qui vitas Pontificũ scribens tradit, hos Romanos Pontifices presbyteros, & diaconos in vrbe Roma plures constituisse. Quod verisimum est: nec tamen inde colligitur, tempore horum Pontificũ nomen hoc Cardinalium habuisse presbyteros vrbis Romæ. Nam illa ordinatio Pontiani, & Marcelli similis fuit illi, quam Linus, & Euaristus Summi Pontifices fecere: siquidem constituti fuere a Pontiano, & Marcello Sacerdotes, presbyteri, & diaconi, qui Pontificem ipsum adiuuarent in administratione sacramentorum, & in alijs ministerijs, quæ in vrbe Romana Christianis exhibebantur: vt notant Archid. in capit. vbi periculum. de elect. in. vj. Cardi. in clemen. ne Romani. de electi. §. porro. vnde manifestum fit non esse necessario tenendam hanc opinionem.

¶ Nos vero, si certa est autoritas capit. Constantinus. xcvj. distinctiõe, existimamus a Constantino tempore Syluestri Primi dignitatem istam Cardinalium plurimum creuisse: etenim licet in dicto capitul. Constantinus. vrbis Romæ presbyteri non appellentur Cardinales: dicuntur tamẽ ab ipso Imperatore Reuerendissimi: & obtinuerunt ab eodem Cæsare illud præexcellentiæ culmen, quod Senatus ipse Romanus, & Cæsaris optinebat: aliaq; circa vestes, & equos priuilegia: de quibus text. ille tractat. Vnde maxima deducitur coniectura ab eo tempore vrbis Romanæ presb-

byteros, & Diaconos Romano Pōtifici ministrātes in maximum dignitatis fastigium euectos fuisse. Imo & ab eodem Syluestro primo simul cū honoribus a Cōstantino Cæsare presbyteris vrbis Romæ exhibitis, Cardinalium nomē cœpit dignitatis titulo eisdem presbyteris competere: sicut probatur in capit. præsul. ij. qō. iiij. ex quo Oldra. consilio. lxiij. collegit, Cardinalium nomen, & titulum tempore Syluestri Papæ primi in vsu fuisse. Nā ex Syluestri synodo probatur ibidem, ad conuincendum Cardinalem non sufficere quencunq; numerum testium. Post Syluestrū sub Symmacho primo fuere apud vrbē Romam tituli sancti Laurentij, Ceciliæ, Sixti Marcelli, Susannæ, Anastasiæ, Mariæ trans Tyberim, Ioānis, & Pauli. Demum Bonifacius Tertius anno Domini sexcentesimo sexto, vt quidam existimāt, cœpit presbyteros, & diaconos vrbis Romæ ad aliquem ampliorem honoris gradū extollere cum apertissimo, & publico Cardinalium nomine: ac deinde Innocentius quartus permisit eisdem, vt veste purpurea, & galero vterentur: queādmodum ex eorum vitis cōstat. Sic deniq; ad hæc tempora processit Cardinalium maiestas, quę paulatim in summum est deducta honoris fastigium ita quidem, vt in ecclesia Catholica nulla sit post summū Pontificatū maior, nec æqualis dignitas.
¶Olim sane Episcopalis dignitas maior quidem censebatur, quam Cardinalitia; Epi nāq; dignitate deprimi se omnino existimabāt, si Cardinales fierēt: erat q; prior, & honoratior locus Episcopis, q̄ ipsis Cardinalibus vsq; ad tempora Clementis quinti secundum Ioan. Andr. in capi. cum aliquibus. de rescript. in. vj. & eundē in ca. cum Apostolus. de cēsibus. quod ratione quadam fieri potuit: nēpe quia Episcopalis dignitas instituta fuerit iure diuino Euangelico: non sic Cardinalitia, quippe quæ humano instituto originē habuerit: tametsi ad exēplum diuinę, & veteris legis: ab ipso q; initio ecclesiæ renascentis originē habuerit semoto tamen hoc Cardinalium nomine. Vnde iuxta hanc resolutionem intelligendum est quod latissime notat Barbat. in tract. de præstant. Cardinali. parte. j. q. j. quo in loco scribit, Cardinalium dignitatem esse iure diuino institutum per tex. in dict. capi. per venerabilē. qui filij sint legit. Siquidem id intelligendum est, quoad exemplum: cum Cardinales ad exemplum seniorum veteris legis fuerint instituti. Sic & plura sunt intelligenda quę de Cardinalibus, atq; eorū dignitate tradit Card. de Turre Crem. in tract. de eccles. li. j. ca. lxxx.
¶Hinc apparet, Cardinalatum non esse ordinem, nec caracterem imprimere: eaq; ratione plurimum differre ab Episcopatu. Nam & si pleriq; dubitauerint, an Episcopatus sit ordo: Abbas etenim in cap. ex literis. de excessib. prælat. tenuit Episcopatū non esse ordinem: ex aduerso tamen. glos. in proœmio sexti. verbo. Episcopus. idem Abb. in cap. primo. de ordinat.

ab Episco. qui renunciauit Episc. & in cap. aqua. de consecrat. eccles. vel al tar. existimarunt, Episcopatum ordinem esse, ac denique in quantum ordo est sacramentũ, & tendit ad sacramentum scilicet eucharistiæ, non est Episcopatus ordo specialis ab alijs distinctus, quia circa corpus Christi verũ, eiusque consecrationem non habet Episcopus maiorem potestatem quam simplex presbyter: sed quatenus ordo est officium, & potestas respectu quarundam actionum sacrarum, Episcopatus est, & potest dici ordo: illaque potestas est indelebilis, licet proprie caracter non sit: vt resoluit Sanctus Thomas in. iiij. senten. distinct. xxiiij. quæstione. vlti. articu. ij. optimus text. in dicto capit. j. de ordinat. ab eo, qui renunciauit Episco. Cardinalatus autem ordo non est nec respectu quarundam actionum sacrarum, nec ea potestas indelebilis censetur: quod satis est manifestum: atque ideo maxime differt ab Episcopatu.

¶ His illud adijciendum est, Stephanum Papam tertium statuisse, quod Summus Pontifex vnus ex ipsis Cardinalibus eligeretur. vt cõstat ex cap. oportebat. lxxix. distinct. id vero cõtigit circa Annum Domini Millesimum centesimum quadragesimũ octauum. Quibus equidem prænotatis modo sunt aliquot subijcieda, quæ circa reuerendissimos Cardinales ab vniuersali synodo, vel ab ipso Summo Pontifice statui deberent ad saluberiorem Christianæ religionis administrationem.

¶ Primum etenim de Cardinalium electione admonemus Sanctissimum in Christo patrem, summumque ecclesiæ præsulem, vt ad hanc sublimẽ dignitatem viros moribus, doctrina, & prudentia præstantes eligat: qui possint in rebus arduis, quid vtile Catholicæ ecclesiæ sit, tractare, deliberare, cũ ipsoque Summo Pontifice facillime cõsultare: alioqui parum tanta dignitas ecclesiæ, cuius causa instituta fuit, proderit, si ad eã adsumpti fuerint hi, qui nec moribus, nec eruditione, nec rerũ, aut negotiorum praxi, quidquã possint maximis in periculis, ac necessitatibus præstare. Nec vere Cardines ecclesiæ poterunt nominari, imo dracones stantes iuxta arcam domini dicentur, qui hac prædití dignitate nihil aliud curant, quam se famulitio satellitum, splendidis mensis, alijsque magnificentissimis sumptibus nulla pietatis habita ratione, præ excellentes plebi miseræ ostentare.

¶ Oportet sane ad hanc dignitatem eligi omnino eum, qui iam ætatis sit triginta annorum, ac demum in iure diuino, vel humano admodum peritus, Doctor quidem, aut Licentiatus præmisso examine alicuius probatissimæ vniuersitatis,

¶ Filij autem, fratres, aut nepotes Regum, modo sint mediocri doctrina præditi, ad hoc munus admitti poterunt. Id etenim plerumque commodum, & vtile erit ad expeditionem negotiorum, quæ per Romanũ Pontificem, & ipsos Cardinales in vtilitatem totius Chrĩanæ reipublicæ sunt

peragenda. Ipsius vero Summi præsulis ex fratre, vel sorore nepotes non essent ad hanc dignitatem admittēdi, ipso Pōtifice viuēte, nec alicuius Cardinalis nepos itidem ex fratre, aut sorore, si id Papæ iustum, & æquum se posito sanguinis amore visum fuerit.

¶ Deinde cum distincta sint in ecclesia Catholica hęc duo munera, Cardinalium scilicet, & Episcoporū: si quidem officium Episcopi in hoc quidē tēdit, vt gregē sibi cōmendatū diligēter pascat: redditusq; ecclesiæ, ac Epalis dignitatis, salrē residuos ab Episcopi necessario sumptu, in pauperes propriæ diœcesis, ne hi fame pereant, distribuat. Cardinalis vero officium, et munus in hoc ab initio ecclesiæ destinatum est, vt is Romano adsistat Pōtifici in vniuersalis ecclesiæ administratione, Christianæq; regimini reipublicæ: illud potissime est obseruandum, quod nullus Episcopus adsumatur ad hanc Cardinalitiam dignitatē, nec item quisquam Cardinalis Episcopus fiat. Sic enim iure Pontificio statutum olim fuit: quemadmodum probatur in capit. bonæ. de postulat. prælat. vbi Doctor. præsertim Panormit. notab. ij. ab ea Decretali notauit, non posse iure quemquā simul Episcopum esse, & Cardinalem. qđ etiam Cardinalis Caietanus tractat in commentarijs ad sanctum Thomā. ij. ij. q. clxxxv. arti. v. Igitur erit religioni Christianæ maxime conueniens institutū, si quod olim iure Pontificio Decretum erat, abusu quodā, & importunis precibus sæpissime derogatum, iam nunc fœlicissime renouaretur. Hinc equidem multa cessarent mala, q̄ dubioprocul detrimentum hactenus intulerunt. Etenim dū hæc sublimis dignitas Episcopis, qui maximos percipiunt ab ecclesia redditus, confertur: ipsi Episcopi, cogūtur aut extra curiam Romanam inutili Cardinalium nomine, honoris tātum gratia, & quorundam priuilegiorū ipsis duntaxat Episcopis vtilium, apud propriā diœcesim commorarij nihil vniuersali ecclesiæ in Summo Papæ Prætorio integro consilio præstantes: aut propria diœcesi relicta Romanum Pontificem, eiusq; curiam sequi, Episcopalis dignitatis redditus extra ipsam diœcesim consumētes. Cum tamen ad hanc dignitatem Cardinalitiā possint commode eligi viri moribus, & scientia præstantes, qui Episcopi non sint. Quibus redditus congrui possunt concedi, & constitui vel expēsionibus, vel aliunde, q̄ collatis eisdem Episcopatibus.

¶ Hinc maximi cessarent abusus, & præsertim quidam, quo inductū est, quod cum creatur aliquis Episcopus Cardinalis absoluitur a vinculo, quo tenebatur ecclesiæ suæ: post dispensatur cum eo, vt habeat eam ecclesiam commendatam. Hic enim circuitus vitādus profecto est, quippe qui quo ad Deum parum conducat, qui nulla pōt humana calliditate decipi. Nec refert Episcopatum minime aptum, nec conuenientem Cardinali ab titulo vero, aut commenda obtineri: siquidem ecclesia Episcopalis, quæ

iustissima ratione Cardinali conferri nequit in titulum, eadem ratione nec dari poterit in commendam. Et prætererea nulla vrget necessitas, quę cogat hāc cautelā admitti ad satisfaciendum hominibus: cum posset facilius dispēsari, vt electus in Cardinalem manēs Episcop⁹ cū suo titulo redditus Epalis dignitatis in absentia perciperet, ecclesiamq; obtineret. Esset sane æquū, & iustum, quod per adsumptionē ad Cardinalatū omnia beneficia, quæ ad sumptus habet extra Romanam diœcesim. Abusum eñi ex præmissis maximum esse censemus, quod Cardinalibus Episcopatus conferantur. Qui quidem abusus tollendus est, et extirpandus: potissimum ob exemplum. Quomodo nanq; sancta sedes Apostolica poterit dirigere, & corrigere aliorum abusus, si in præcipuis suis membris, nempe in Cardinalibus abusus tollerātur? Nam ob id quod Cardinales sint non magis eis licet transgredi legem: imo minus. Cū horum vita alijs debeat esse exemplo tāquā lex vniuersalis ab his procedens, qui leges dare cōsueuerunt. Ambiūt præterea Cardinales a regib⁹, & principibus Episcopatus a quibus postea in cōmunibus Christiani orbis cōsultationibus omnino pendent, nec possunt libere sententiā dicere, imo si possent, & maxime cuperent, fallerentur nihilominus passione, & affectu animi in iudicando perturbati. Quamobrem esset tandem statuendū, quod Episcopi nec fierent Cardinales, nec Cardinalibus darētur Episcopatus.

¶ De numero Cardinaliū actum est sæpissime in concilijs vniuersalibus præsertim in concilio Constantiensi, & deinde in Basiliensi, vbi Decretum extat, ne Cardinalium numerus viginti quatuor excedat: atq; idē modo repeti esset admodum vtile, saltem quod numerus triginta Cardinaliū immutabilis statueretur. Qui quidē Cardinales eligerentur ex omnibus Christiani orbis prouincijs inspecta personarum qualitate: id etenim prodesset multum ad negotiorū cōsultationē, vt facilior esset apud Papæ Senatum cognitio rerum, possetq; maturius adiumi deliberatio cuiuscūq; contingentis causæ.

¶ Cæterum hic numerus posset per Summum Pontificē in hunc, aut similē modū distribui: vt Sex eligerentur Cardinales ex tota Germania, ex Hispania totidem, ex Gallia item alij Sex: ex Italia Sex: ex Lusitania vnus, ex Anglia vnus: ex Vngaria, & Bohemia duo: ex Polonia vnus, ex Scotia vnus.

¶ Essent autem Cardinales eligendi in hunc modum: vt ille Cardinalis sit censendus, cui maior pars reuerendissimorum Cardinalium suffragetur: in pari vero suffragiorū numero ille, cui Sūmus Pontifex consensum præstiterit, cæteris præferatur. Quæ quidē electio fiat præmisso solenni scrutinio, habitaq; inquisitiōe de moribus et vita eorū, qui ad hāc dignitatē sunt eligēdi. Huius inquisitionis cura erit deleganda Archiepiscopis, aut Epis illi⁹ prouinciæ, ex qua Cardinalis est

eligendus: vel saltē Archiepiscopo simul, & duobus Episcopis, vt munus hoc in Christiana republica maximū cautius viris eo dignissimis conferat.

¶ Ipse vero electus, si intra trimestre ad curiam Romanā cessante morbo non accesserit, ea sit omnino electione, & dignitate destitutus, atq; alius in eius locum eligatur. Nec Cardinalitia insignia cuiquam extra Romanā curiam existenti mittantur.

¶ His equidem triginta Cardinalibus essent constituendi redditus ordinarij ex patrimonio sedis Apostolicæ: cuilibet nēpe Cardinali duo millia aureorum: præter quos iuxta cuiusq; merita, et dignitatem possent cōcedi pensiões super Episcopatibus, dū modo pensio non excederet tertiam redditūū ipsorum Episcopatuū partem. Nec deberent istæ pensiones cōstitui super beneficijs curam animarum habentibus, nec super alijs simplicibus: nē detur Cardinalibus occasio molestiam, aut grauamen inferendi clericis pauperibus eadem beneficia obtinentibus: quemadmodum hactenus frequētissime factū est. Oportet præterea circa honestatem, & familiam Cardinalium, atq; visitationem titulorum obseruari vicesimam quartam sessionem concilij Basiliensis, ad cuius exequutionē necesse erit, quod omni anno (saltem tēpore quadragesimæ) per sanctissimum dominum nostrum Papam nominentur duo Cardinales honestæ uitæ, & exēpli, qui visitent collegium Reuerendissimorum Cardinalium, & si quæ fuerint corrigenda, atq; emendanda cum omni prudentia, & optimo exēplo corrigantur, ac emendentur.

¶ Sunt & inter alia, quæ in fauorem Cardinaliū statuta sunt, regulæ Cancellariæ, quibus reseruantur omnia beneficia Cardinalium in quibuscunq; sint diocesibus, & ipsorum item familiarium, quæ quidem familiarium beneficia secundum hanc reseruationē conferenda sunt per ipsosmet Cardinales. Ideoq; Cardinales ipsi, vt possint multa conferre beneficia, multos recipiūt familiares præsertim eos, qui pinguia habent sacerdotia eo animo, vt ipsa possint cum vacauerint conferre. Nec adhoc ius familiarium, stipendium vllum requiritur: imo satis esse inductum est, quod familiaris semel cum alijs familiaribus in domo Cardinalis cœnauerit. Quamobrē abusus hic de reseruatione beneficiorum, quæ familiares Cardinaliū obtinent, tollēdus omnino est, aut aliquo pacto temperandus. Quod commode fieri poterit, si id priuilegiū ad certum familiarium numerum deducatur: atq; hic numerus apud Romanā curiam integra fide, & probatissimis testimonijs fuerit constitutus.

¶ Obtinuit in his etiam beneficiorū collationibus, & litibus abusus quidā admodū Christianæ reipublicę, ec ecclesiastico ordini perniciosus. Nam Reuerendissimi Cardinales ad preces amicorū sepissime beneficia, q̄ aliorū vtilitati cedūt, sibimet accipiūt, eorūq; titulos adquirūt, amicis postmodū eadē tractaturi per resignationē, aliūue

canonicū modum, vt aduersarij, quibus ad eadem beneficia ius verū competit, quicq; cum amicis Cardinalium iusta lite contenderēt, exterriti nimio Cardinalium fauore causam deserāt, vel litem ipsam aliqua trāsactione inuiti componant. hic etenim abusus extirpandus est, atq; summopere prouidendū sub pœnis, quæ visæ fuerint iustæ: ne Cardinales beneficia ecclesiastica, quæ amicis postmodum dimissuri sunt, fauoris, & litis futuræ causa sibi adsumant. Sic equidem malum hoc cessabit, ex quo quandoq; contigit Cardinales possidere bñficia hoc quæsito colore, quorum reditus quatuor, aut decem aureos minime excedunt.

¶His accessit aliud minime tollerandum malum: nam reuerēdissimi Cardinales beneficia, quæ modo prædicto obtinuerunt, ita in aliorum fauorem renunciant, ac dimittunt, vt sibimet regressus, & accessus reseruent. Sic denicq; beneficia perpetuo manēt affecta, & reseruata, vt cū vacauerint, ad ipsosmet Cardinales reuertantur, quemadmodū quotidie reuertuntur. Vnde Cardinales, vel ea retinent, vel alijs conferunt cum prædicto regressu, nec ordinari' vnquā potest de his beneficijs prouidere, nec ea tractare, quæ necessaria sint ad animarum curam. Qua ratione reipublicæ Christianæ conuenit, hunc abusum tolli, atq; prorsus statim aut per synodū vniuersalē, aut per ipsum Romanū Pontificem, quod nullo pacto possit regressus, vel accessus Cardinalibus ad quæcunq; beneficia maxime curā animarum habentia.

¶Quin & Cardinales reuerendissimi gratias expectatiuas, & reseruationes pro dignitatibus, & beneficijs vacaturis a summo Romano Pontifice impetrant, & obtinent plerunq; commendatas, aut in depositi titulum amicorum quidem fauore. quod admodum est perniciosum: atq; ideo ab ecclesiastica republica omnino auertendum, ne tot mala sequantur, quæ ex his cautelis, & similibus frequentissime apud curiam Romanam receptis passim sequuntur.

¶ De Archiepiscopis.

.§. Tertius.

POstquā de Cardinalibus paragrapho præcedenti actum est, par equidem erit & de Archiepiscopis nunc agere. Nam & in horū munere exequendo maior quādoq; deprehenditur oscitantia, quam potuerit multis equidem admonitionibus hactenus corrigi, & emendari; præsertim tot olim editis concilijs, quibus sancti patres Archipræsules hortantur ad veram, & diligentē prouinciæ curam. Nunc tandem diuino fauente auxilio, & sanctissimi domini nostri Papæ feruentissimo in rempublicam Christianam zelo sperandum est, quod in his, & alijs ecclesiæ principibus commodo cōtinget mutatio, quæ eos omnes ad vigilantissimā gregis sibi cōmissę curā inducat.

Fuerat

¶Fuerat olim statutum, quod Metropolitani tenerētur prouinciale cōcilium anno quolibet celebrare. capi. quoniam.xviij.distinct. Quod plurimum proderat ad morū correctionem, & ad totius prouinciæ commodam institutionem. Tādem pluribus abhinc annis isthæc prouincialiū synodorum celebratio ita in desuetudinem abijt, vt omnino de prouincialibus concilijs actum sit, acsi nusquam in ecclesia Catholica fuerint celebrata: cum tamē plurima sint apud ipsa cōcilia prouincialia de religione, de moribus, & ordine ecclesiastico instituta, quæ postmodum ab ecclesia per vniuersalia concilia, & per ipsos Romanos Pontifices fuere recepta. Proinde oportet, quod canones antiqui renouētur: & his renouatis saltem quolibet triennio prouincialia concilia celebrentur. Cuius rei causa erit statuēda grauis pœna Archiepiscopis, qui concilij prouincialis celebrationē tēpore statuto negligenter omiserint. Atque vt manifestū sit, an Metropolitani cōcilium celebrauerint, debet itē Canone cauere, qd' fiat quolibet triēnio publica fides Romano Pontifici de hac celebratione.

¶Conuenit præterea religioni Christianæ, quod Archiepiscopi per se ipsos visitent non tātum proprias diœceses, & earū ecclesias, sed etiam diœceses, & ecclesias suffraganeorum saltem quolibet triennio: modo ea visitatio non fiat eo anno, quo synodus prouincialis est celebranda. Quam ob rem, ne & in hoc negligentiæ Metropolitanorum locus sit, erit statuendum, quod de hac visitatione fiat fides summo Pontifici, per publica testimonia.

¶Solent etiam Metropolitanorum iudices, vicarij, & officiales ea, quæ alienæ curæ incumbunt, sibi ipsis vsurpare, & in ecclesijs, ac diœcesibus suffraganeorum iurisdictionem exercere ordinariā eodem modo, quo Episcopi, eorumque officiales exercēt. Vnde multa sequuntur mala: præsertim enim plura crimina manent incorrecta, habēturque iudices suffraganei maximo contemptui, dum eorum subditi statim ad Metropolitani tribunal prouocantes, tanquā ad immunitatis confugiunt auxiliū, pro grauissimis sceleribus benigne interim recepti. Qui dubio procul cauerent a criminibus, si existimarēt apud iudices Metropolitanos, quos statim ad manus, vt aiunt, habent, iustissima fore puniendos censura. Igitur hi abusus, & consuetudines debent omnino retractari, vt libere suffraganei possint subditorum delicta punire.

¶Sunt & alia plura, quæ Metropolitani negligentia, & socordia quadā suffraganeorum quorundam per cōsuetudinem induxerunt maxime circa frequentissimas, easdemque friuolas appellationes, quas passim absque vllo delectu eorū iudices admittūt. Quorum aliquot iam ab hac sacrosancta synodo Tridentina præuisa sunt, & quibusdam editis Decretis abrrogata. Vnde nihil aliud circa hæc superest quam exacta, aut sane diligens co-

rundem decretorum obseruatio.

¶ Potissimus vero abusus, qui circa Metropolitanorum officium in ecclesia Catholica indiget emendatione, in omissione prouincialis concilij contingit. Nam, vt superius dictum est, summa est cura adhibenda, vt concilia prouincialia celebrentur, ad quæ omnes Episcopi conueniant de administratione, & statu totius prouinciæ tractaturi, atq; ita quæ fuerint corrigenda reformaturi. Iam olim tempore concilij Viennensis, quod Clemens quintus apud Gallos celebrauit, hanc desidiam prælatorum deplorat, eamq; reformandam esse censuit Guillielmus Durand. vulgo speculator nuncupatus in tractatu. de concilijs. iij. parte. tit. vigesimo octauo. Qui secunda parte titul. vndecimo. late ponit formam celebrandi cõcilij prouincialis.

¶ Essent profecto & item celebrandæ maiores synodi, in quibus Episcopi totius nationis, vel etiam multarum nationum conueniant, prout ecclesiarum necessitas postulabit de rebus arduis acturi interim dum concilia vniuersalia celebrantur. Quandoquidem multa sunt, quæ vniuersalis concilij celebrationem impediunt, nõ impeditura synodi totius, vel plurium nationum conuentum. Sic etenim fiet, vt querelæ ad hanc synodũ deferantur pro cuiuslibet ecclesiæ reformatione, quæ facilius fiet, quam si vniuersalis syno di congregatio expectetur.

¶ De Episcopis.

.§. Quartus.

Si quis diligenter examinare voluerit omnia, & singula, quæ a ministris publicis religiõis christianę sunt pro muneris, & officij obtenti exequutione, facile deprehendet Episcoporum oscitantiam, incuriam & excessus multa mala ecclesiasticæ disciplinæ, & ouibus, quas pascendas cibo spirituali accepere, grauiter intulisse. Idcirco in hac Tridentina synodo, & ab ipso Romano Pontifice aliquot sunt vel ex veteribus canonibus renouanda, vel noue instituẽda ad instructionem, & reformationem huius Episcopalis dignitatis.

¶ Primum enim, cum Episcoporum præsentia, & residentia admodum vtilis sit, & equidem necessaria, ne lupus oues comedat, dum pastor mercenarijs, eisdemq; minime idoneis gregẽ pascendum cõmittit, oportet per ipsam synodum Tridentinam, & summum Pontificem statui sub grauissimis pœnis, quod Episcopi resideant in proprijs, sibiq; commissis diœcesibus. Pœna autem iustissima erit redituũ ecclesiasticorum ipso iure, etiã in animæ iudicio absq; vlla condemnatione, aut declaratione decreta priuatio in hunc sane modum, vt eo tempore, quo absens absq; iusta causa, & licentia superioris fuerit ab Episcopatu nequaq; lucretur, nec adquirat fructus, nec eos suos faciat: imo pro ipsi⁹ tẽporis, quod aiunt, rata teneatur, etiã

in animæ foro ecclesiæ restituere.

¶ Non negamus quandoque aliquot ex causis posse iuste ad certum tempus Episcopum abesse ab Episcopatu, & propria dioecesi: etenim hæc absentia ex iustis quibusdam causis licere potest. Esset tamen ab eadem synodo, vel a Summo Pontifice Decretū quoddam statuendū, quo præcipuæ causæ exponerentur, reliquis similib9 aut denique alijs, quæ certa sententia definiri non possunt, declarationi, atque arbitrio Papæ, aut Metropolitani cōmissis, vt tandem ab eorum altero licentia obtenta honeste posset Episcopus a propria dioecesi discedere.

¶ De Episcoporum translationibus, quia solet res ista dispēdium ecclesijs inducere, obseruandum est, ne temere fiant absque delectu: siquidē passim mutari Episcopos abusus est: quēadmodum probatur in concilio sardicensi cap. j. tametsi pluribus ex causis translatio ista fieri possit: quod ostēdit decretū Antherij Papæ. in cap. mutationes Episcoporum. vij. qō. j. cap. non oportet. eadem. q. ex concilio Nicæno canon. xv. quo translationes istæ etiam prohibitæ sunt.

¶ Potissimum esset vtile circa residentiam Episcoporum; quod statueretur ipsos nequaquam posse abesse a proprijs Dioecesibus, imo a propria Episcopali ecclesia eo tēpore, quo Chrisma est conficiendum, vt ab ipsis Episcopis Chrismatis oleum presbyteri ipsarum & dioecesum accipiant. cap. presbyteri. cxv. dist. quod notari poterit ex capi. veniens. de accusationi. admonuitque Speculat. in. ij. parte. de concilio. capit. iiij.

¶ Tenentur præterea Episcopi quolibet anno clerum suæ dioecesis ad synodum vocare, vt apud ipsam quæ fuerint emendanda, statim corrigantur: imo & olim bis in anno ea synodus Episcopalis fieri debebat. cap. habeatur. ca. propter ecclesiasticas. xviij. dist. Hæc vero antiqua institutio iā cum multis alijs etiam est abrogata Episcoporum negligētia: qui denique non semel in anno imo ne vicesimo quoque anno synodum Episcopalem curant celebrare. Grauissimis igitur poenis est prouidendum circa synodos Episcopales, vt semel in anno celebrentur ab Episcopis propriæ dioecesis conuentus: fiatque omnino huius celebrationis publica fides ipsi Romano Pontifici: aut saltem Metropolitano. De his vero synodis iam prima huius operis parte aliqua scripsimus, capitul. primo.

¶ Veteribus canonibus satis probatum extat, quanta debeat adhiberi cura in ordinandis, instituendisque clericis ad ministerium diuinum. Etenim Apostolicis est statutum regulis, vt qui eligitur ad sacra ministeria irreprehensibilis sit, habeatque bonum testimonium: sic denique quod nemo in sacro ministerio adsumatur, nisi probatus testimonio, & assensu cleri, & plebis. Ideo examinari, & probari sancti canones iubent eos, qui ad sacra ministeria electi fuerint. vt in cap. Eps. xxiiij. dist. & in canone. ix. concilij Nicæni. hæc vero examinatio publice

eſt facienda, vt qui aliquid contra electum, & ordinandum habet, id proponere poſsit. cap. lj. concilij Carthaginenſis. Sic diuus Cyprianus lib. j. Epiſtola. iiij. ſcribit, ſacerdotes plebe præſente ſub omnium oculis deligantur, vt dignus, atq; idoneus publico iudicio, ac teſtimonio comprobetur. Hac igitur ĩ re, quæ in Chriſtiana republica grauiſsima eſt, maximus verſatur abuſus, idem q; intolerabilis, qd' paſsim abſq; tali examine ordinationes ab Epiſcopis fiunt: nec præter cęremoniam verborum quidquam ex veteribus Canonibus ſeruatur.

¶ Hoc malum in Catholicam eccleſiam ſenſim irrupit ex eo, quod Epiſcopis titularibus delegata eſt ſacerdotum ordinatio. Siquidē Epiſcopi veri, reddituũq; eccleſiaſticorũ vſufructuarij plerunq; ab his abhorrent ordinationibus, eaſq; committunt Epiſcopis titularibus, quaſi quod hi negligenter egerint, non ſit ab ipſiſmet proprijs eccleſiarum prælatis exacte exigendum. Hi vero titulares Epiſcopi interrogant ter de ordinandis, an ſint iuſti, digni, & benemeriti: reſpōdetur ab alijs quibuſdam, digni ſunt, iuſti ſunt, idonei ſunt: hi autem qui reſpondent, nihil comperti de ordinandis habent. vnde ſola eſt in his actibus cæremonia verborum, idq; quod agitur falſum eſt teſtimoniũ in re tā diuina.

¶ Qua ratiōe & illud eſt animaduertendum in eccleſia Catholica ſacram ordinationem nihil aliud eſſe, quam deſtinationem ad certum actum, & miniſterium bona fide obeundũ, atq; ideo permittendum non eſt, vt Epiſcopi conſtituātur, aut fiant ad inanes titulos, vel vagam, & incertā functionem. quod tamen paſsim fit hiſce tēporibus pecunia quandoq; data ob ſolum nomen Epiſcopi. Nam Et in concilio Chalcedonenſi canone. vj. ita olim ſanctiſsime fuit ſtatutũ: Neminem abſolute, ideſt ſine titulo, ordinari iubemus preſbyterum, nec diaconum, nec quēlibet in eccleſiaſtica ordinatione conſtitutum, niſi manifeſte in eccleſia ſuæ ciuitatis, ſiue poſſeſsionis, aut in martyrio, aut in monaſterio hic, qui ordinatur, mercatur ordinationis publicæ vocabulũ. Eos autem, qui abſolute ordinantur, decreuit ſancta ſynodus vacuā habere manus impoſitionem, & nullum tale factum valere ad iniuriam ipſius, qui eos ordinauit. Hactenus p̄dictus Canon, qui & a Gratiano refertur diſt. lxx. cap. neminem. Qua quidem autoritate ſatis oſtenditur, iuſtiſsimum eſſe, quod Epiſcopi titulares a Chriſtiana religione, & republica aboleantur. Nam & hanc ordinationem improbat, & demũ pernicioſam eſſe cenſet cōſtitutio Clemētis quinti in cle. in pleriſq;. de electiōe. Ex his etenim promotiōibus titularium Epiſcoporum multa mala ſequuntur: & præcipue abuſus quidam, quo ordinatio fit ineōſulta, & abſq; vllo delectu clericorum, præſertim preſbyterorũ, in qua nulla adhibetur cura. Paſsim etenim imperitiſsimi, malis morib⁹ præditi, viliſsimo genere orti ad ſacros ordines admittũtur. Vnde diuini cul

tus veneratio non tantum diminuitur, sed pene extinguitur, cōtēptusq; ordinis ecclesiastici sequitur. Quamobrem essent a summo Pontifice admonendi Episcopi ne a veteribus canonibus in his ordinationibus discederent, ac vigilarent vtiq;, ne ordinatio clericorum fieret ita inconsulte, vt hactenus facta est. Deinde esset prouidendum, ne quisquā ordinaretur in curia Romana ab alijs, quam a duobus, vel tribus Episcopis per ipsum Papam nominatis: qui quidem propter singularem doctrinam, & rectitudinem fuerint ad hoc munus electi. Quorum maxima cura versari debet in examinandis his, qui sunt ad sacra ministeria promouendi tam circa mores, quam doctrinam, ætatē, natalia legitima, & alia, quæ iuxta conciliorum decreta sunt hac in parte obseruanda.

¶ Illud sane est potissime considerandum, qua nam ratione tollerandum sit, quod de redditib⁹ ecclesiasticis ab Episcopis, & ab alijs viris ecclesiasticis quotidie fit, dū hi redditus aduersus veteres canonēs cōmuni omnium fere abusu dispēsantur. Olim equidē Christiana Charitas, & fidelium ecclesiæ pietas illud effecit, quod plura bona ecclesijs, & religiosorum conuētibus offerrentur, consecrarenturq;, vt ministrātes spiritualia, temporalia haberent, vnde victum & sibi necessaria acciperent, atq; inde neglectis artificijs, & curis consequendi alimenta totos se altaris ministerio, et sacris operibus impenderent, fratribusq; egentibus necessaria ministrarent. Sic etenim ecclesiæ multa adquisierūt bona, ac pingues redditus, qui procedente tempore plurimū aucti sunt, quemadmodum apparet, omnibusq; fit manifestum. Idcirco decretū olim fuit ad dispensationem, & vsum istarū opū, quatuor ex ecclesiæ bonis portiones fieri: ex hisq; vnā dari Episcopo, quo se ipsum alere possit, pauperib⁹, ac peregrinis fauere: Aliam cæteris clericis, vt suo quisq; ministerio vacare possit: Tertiam pro cōseruandis templis, vestibus, & instrumētis templorum: Quartā deniq; iubēt canones antiqui erogari omnino in necessitates pauperum, & peregrinorū, cap. de redditibus. capit. cognouimus. capit. mos est. cap. sancimus. xij. q. ij. tradit Sanct. Thomas. ij. ij. q. clxxxv. arti. vij. Hodie vero hæc dispensatio ecclesiasticorū redditiuū plerumq; fit ordine puerso: ac deniq; clerici, & alij redditus ecclesiasticos percipiētes eos expendūt in superfluos, elatos, & vanos vsus vestiū, ornamentorū, familiariū, & ciborū ita deperdite, vt sæpissime honestior sit laicorū, & seculariū prouentuū, quā ecclesiasticorū distributio: quā sanctissimi patres, viriq; Catholici passim reprobarūt. Aliena, inquit Hieronymus, rapere conuincitur qui vltra necessaria sibi retinere probatur. §. ordinandus. xlij. distin. optimus text. in cap. Episcopus. xij. q. j. & in cap. j. xij. qō. ij. diuus Bernard⁹ ait: Ego adquisiui sanguine proprio, tu consumis, & fulges in apparatu regio: ego adquisiui opprobrijs.

& flagellis: tu consumis in sciphis argenteis, aureis, & scutellis: Ego adquisiui vestibus nudatus, tu consumis, vt fulgeas in vestibus præciosis: Ego adquisiui manibus cruci affixis: tu consumis manibus taxillis, & aleis dedicatis: Ego adquisiui coronam spineã portando: tu consumis molle puluinar capiti tuo supponendo: Ego adquisiui acetũ, & fel degustando: tu cõsumis sy ceram, & merum potando. Hæc Bernardus, qui Epistola. xlij. inquit: Clamãt pauperes, nostrũ est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Ex quibus & alijs antiquitus multa fuere statuta ad coercendam liberam hanc ecclesiasticorum redditu ũ dispẽsationem. Potissimum fuit interdicta potestas testandi de rebus intuitu ecclesiæ adquisitis: sicuti traditur in ca. cum in officijs. de testam. cap. relatũ. in. ij. eo. tit. Quæ tamen priuilegio, & licentia Romani Pontificis sæpissime permittitur Episcopis. Idcirco esset Sũmus Põtifex omnino admonendus, vt has testandi licẽtias Episcopis rarissime cõcederet, et maximis ex causis. Præterea esset statuendum quod bona relicta ab Episcopo defuncto intuitu ecclesiæ adquisita in tres partes distribuerentur primum solutis debitis familiaribus, & ære alieno seclusa omni fraude deducto: quarũ quidẽ partiũ vna esset propria Epalis ecclesiæ ad ornamenta, & ædificia, si ipsa ecclesia sit pauper, alioqui distribueretur pro ornamentis, & alijs rebus necessarijs in ecclesias ipsius diocesis pauperiores per duos ꝓbos viros vnũ electũ ab Epo, alterũ ab ipsius Cathedralis ecclesiæ capitulo ex ipsismet canonicis. Alia pars expẽderetur maxima cura, & fidelitate ĩ pauperes illiꝰ diocæsis. Tertia vero pars relinqueretur dispositioni ipsius Epi adquirẽtis, non vt eam libere in vltima volũtate cõsanguineis legaret: sed vt iuxta propriũ iudiciũ posset in remuneratiõnẽ, et pias causas cũ familiaribus, præsertimq; cõsanguineis pauperibus erogare, & expẽdere. His etenim sic aut alio simili modo statutis cõueniret plurimũ Christianæ reipublicæ, dispẽsatiões, & testãdi facultates omnino aboleri: ne ex bonis pauperũ, & ecclesiarũ consanguinei Eporum, & Archiepiscoporũ vltra maiorum dignitatem, statumq; ditentur.

¶ Circa quæstores cõsueuerunt Epi aliũ abusum exercere maximo cũ detrimento pauperũ, quibus quidẽ vere aufertur, quod hi q̃stores plerunq; inique cõsumunt, postquã id pietatis titulo extorserũt. non etenim damnamus pias petitiões eleemosynarũ, quæ vere sunt in opera pia expendendæ, tantum enim eas improbamus, quæ ad quæstorum proprios vsus, cum ipsi nec pauperes sint, nec curam habeant pauperum, alteriusue pij operis, destinantur, & ita consumuntur, ac si patrimonialia essent quæstorũ bona. Deinde Episcopi quæstoribus permittunt liberam prædicationem ad exigendum eleemosynam aliquo pietatis titulo: pro qua permissione, & licentia ab ipsis quæstoribus pecu-

niam accipiũt Episcopi, eamq; in proprios vsus conuertunt: cum tamen esset isthæc pecunia conuertenda in vsus pios, nempe in alimenta pauperum, & fabricam, ac refectionẽ ecclesiarum. Vnde per synodum, aut per ipsum Romanum Pontificem esset hic abusus omnino extirpandus.

¶Cum autem iure Pontificio statutum sit, vnionem duarum ecclesiarũ ab Episcopo minime esse faciendam, nisi primum interueniat capituli Cathedralis ecclesiæ consensus iuxta capitul. pastoralis. de donationi. clem. vlti. de reb. eccles. Abb. & Cardi. in cap. sicut vnire. de excess. prelat. glo. & Abb. in ca. cũ dilectus. de his, quæ vi. met. ve caus. fiunt. & in capit. sicut duo. xvj. quæstio. j. deinde accedere debet causa iusta vnionis. glo. in cap. j. de reb. eccles. Oldrad. consil. cclxj. Deti. consil. ccxxxiij. colum. ij. adeo quidem, vt vnio facta ab Episcopo, aut alio ordinario sine causa, nulla sit ipso iure: quemadmodũ explicat Abbas in dict. cap. sicut vnire: & decisionem Rotæ. lix. in nouis. facta autem ex causa falsa erit per sententiã rescindenda, vt ibi tradit eadem decisio: & in antiquis. clxix. & Feli. in capi. postulasti. de rescript. nume. iij. licet in vnione facta per Romanum Pontificem ex falsa causa quidam tenuerint, eam esse nullam ipso iure: quod apparet ex decis. Rotæ. Consueuere nihilominus Episcopi vnire beneficia vacatura alijs beneficijs, ecclesijs, hospitalibus, & alijs pijs locis rectoribus eorundem beneficiorum non consentiẽtibus. Idq; fit plerũq; minime præcedenti iusta causa: imo quandoq; vt pinguiora sint beneficia, quæ alioqui sufficientes redditus habent, vel vt ex his vnionibus dotem constituant capellis, ecclesijs, monasterijs, vel hospitalibus, quæ dotem accipere nomine Episcopi, & in eius memoriam constructa debuissent, vel ex bonis ipsius Episcopi, vel ex redditibus ipsius Episcopalis dignitatis ab eodem Episcopo perceptis, & fortasis in profanos vsus consumptis. Vnde ab ipsa synodo vniuersali his vnionibus maxima cum Christianę reipublicæ vtilitate obuiandum erit editis canonibus, & decretis quibus vetera renouentur, & statuatur, quod vniones per Episcopos, aut Archiepiscopos nullo pacto fiant, nisi Episcopalis synodi consensus accesserit. Item quod aliter factę vniones sint ipso iure nullæ, etiã si factę fuerint in fauorẽ alicuius hospitalis, alteriusue causæ piæ. Quod quidem Decretum admodũ vtile erit ordini ecclesiastico, et doctis probisq; sacerdotibus, quibus propter frequentissimas vniones non potest stipendium ex ecclesiarum redditibus exhiberi.

¶De Capitulis Cathedralium ecclesiarum.

.§. Quintus.

OLim eo tẽpore, quo nullus, aut rarus locus fuit exceptionibus Clericorum a iurisdi-

ctione Episcopi, morum honestas apud ecclesiasticas psonas ita vigebat, vt plane ab his integritas vitæ per religionis, & sanctitatis exempla, veluti per semitas quasdam in laicos deriuaretur. At postquam exemptiões admissæ fuerunt, nulla fere ratio morum habita est. Nam viris ecclesiasticis in malorum colluuiem exemptionis causa prolapsis, maximũ fuit, & est inde ortum incentiuum licentiosæ vitæ his, qui secularem vitam agunt, nullaq; religionis peculiari lege tenentur. Qua ratione exemptionum priuilegia, quibus disciplina iudicum ordinariorum coercetur, ac fere extinguitur, summopere sunt vitanda: eaq; ratione ab ipso Romano Pontifice postulandũ est, ne has exceptiones passim concedat, vel permittat: eas nihilominus ex causis quibusdam, eisdemq; iustissimis quandoq; concessurus moderamine quodã adhibito: ne exempti ab Episcoporum correctione, censura, & punitione libere viuẽdi nulla seruata ratione morum occasionem inde accipiant, prorsusq; censeantur acephali: nempe omnino immunes a prelatorum iudicio. Oportet etenim statui, quod iuxta veteres Canones Canonici, & alij Clerici in ecclesijs Cathedralibus dignitates, ac beneficia ecclesiastica habentes per Episcopum, & iudicem ordinarium puniantur non obstantibus quibuscunq; priuilegijs, exemptionibus, ac præscriptionibus, etiam eius temporis, cuius initium memoriam hominum excedat: præsertim in his Clericis corrigendis totius diœcesis disciplina versatur. Nam cæteri facilius puniri, & corrigi possunt, quippe qui non ita pingues habeant redditus, quos expendere valeant in litibus super correctione aduersus Episcopum tractandis. Illud sane, etiam si a plerisq; Cathedralium ecclesiarum Canonicis, & ministris obtẽtum est longissima præscriptione, quod ipsorummet Canonicorum ordinaria visitatio fiat p duos ex eisdẽ Canonicis, ab eisdem nominandos. Qui familiariter nimis munus istud exercentes multa dissimulatione quadam prætermittũt corrigere, quæ maxime ab Episcopis corrigerentur, & punirentur, si fieret isthæc ordinaria visitatiõ per ipsosmet ordinarios. Vnde morum licẽtiosa corruptio potissimum ostendit, hanc visitationis formam non esse nec vtilem, nec iustam: imo conuenire omnino eam extingui, in aliamq; vtiliorem, & salubriorẽ cõmutari.

¶Sed circa hanc dubitationem, an cõueniat clericos ecclesiæ Cathedralis iudicari ab ipso capitulo ecclesiæ, vel ab Episcopo, erit notandum quid iura vetera, & Canonicæ sanctiones hac in re statuerint. Etenim in concilio Carthaginensi quarto, capitulo vigesimo tertio, & in capitul. Episcopus nullius. decimaquinta. quæstio. vij. Olim ordinatum est, quod Episcopus nullius causam audiat sine suorum clericorũ præsentia: alioqui sentẽtia sit irrita. Et quamuis concilium hoc Carthaginense sit prouinciale:

in capitulo primo. de excess. prælat. scribitur, & statuitur: quod Episcopus non pronunciet interdicti sententiam, nec suspendat clericos sine iudicio capituli. quo in loco glos. consensum capituli exigit. ex text. in capitu. quæsiuit. de his, quæ fiunt a maio. part. capituli. idem notant & aliæ gl. citatę per Felin. in capi. irrefragabili. ij. col. de off. ordi. Quæ quidem opinio vera est vbi agitur de graui pœna imponenda: secus enim si de communibus criminibus puniēdis tractetur, & ita de pœna, quæ grauis admodum non sit: secundum Ioan. Andr. Antoni. Abb. & Doct. in dict. ca. j. eundem Ioā. Andre. & Imol. in cap. nouit. nu. viij. de his, quæ fiunt a prę lat. Oldrad. consi. cclj. glo. Arch. Domi. & Doct. in cap. j. de heret. in. vj. Ex quibus constat, & deducitur resolutio, quod in puniendis clericis Episcopus tenetur procedere, & sententiā dicere cum consensu, & autoritate iudiciali ipsius capituli ecclesiæ Cathedralis, quoties crimen grauissimum sit, aut saltem enorme, ac tractetur de graui admodum pœna infligenda: in alijs vero criminibus solus Episcopus, eiusue vicarius possit procedere, & sententiam dicere saltem requisito capituli consensu.

¶ Vnde infertur, in criminibus atrocibus puniendis capituli ecclesiæ Cathedralis Clericos simul esse iudices cum Episcopo: sicuti notant glo. Archid. Huguitio. Laurent. & Cardi. a Turre Cremata. in dict. cap. Episcopus nullius. xv. q. vij. Sed tamen ab ipso capitulo ecclesiæ Cathedralis vnus, aut duo Clerici sunt nominandi, qui in his causis simul cum Episcopo nomine omnium iudices sint, vt confusio maxima euitetur, quæ sequeretur, si omnium suffragia, & voces essent ad iudicium, ac examinationē harum causarū necessariæ: quod notant Huguitio, Archid. & Cardi. in dict. cap. Episcopus.

¶ Quæ autem dicantur crimina grauissima quo ad istum articulum, & quo ad intellectum huius quæstionis, dubium est, quod aliter quā recti, & discreti iudicis arbitrio definiri nō potest. Sed tamen ad informandum animum illius, qui hac de re arbitraturus est, oportet aduertere, ea crimina censeri admodum grauia, quæ digna sunt depositione, perpetua suspensione, priuatione beneficij, aliaue maiori pœna ex notatis in capit. j. de excess. prælat. cap. tuæ. de pœnis. capit. at si clerici. §. vlti. de iudic.

¶ Canones autem veteres, qui consilium capituli in puniendis Clericis, non cōsensum requirunt: quales sunt capitul. tertiū de consuetu. in. vj. dicto capitul. nouit. & in capit. quanto. de his, quæ fiunt a prælat. gloss. in capitul. irrefragabili. verb. per capitulum. de offic. ordi. & aliæ, quas ibi Felin. allegat secunda columna, procedunt in criminibus leuibus, aut his, quæ valde grauia non sunt. In his etenim iure Canonico consilium est capituli ab Episcopo requirendum. Quod si consilium istud requisitum nō fuerit, nec petitum, actus nō tenet.

gloss. quàm Doctor. ibi approbant communiter in dicto cap. tertio. Abbas. & alij in capitul. ex parte de constit. Deci. in capitul. si pro debilitate. de offi. deleg. nume. vij. post Abb. & Doct. ibi. Imo ex his, quæ Doctor. hac in quæstione tradunt, attenta grauitate causarum, & negotiorum, iura requirentia consiliũ, de consensu sunt intelligenda, si consideremus ardua, & admodum grauia esse negotia; si vero causa leuis, aut saltem non admodum grauis sit, satis erit consiliũ absq; consensu requiri.

¶ Sed si Episcopus procedat contra clericum aliquem ad priuationem beneficij ea ex causa, qđ is non resideat, poterit etiam iuxta canonicas sanctiones solus procedere, causam tractare, & definire etiam non requisito capituli consilio secundum Oldrad. consilio. xcv.

¶ Hæc equidem statuta fuere decretis, & canonibus veterum conciliorũ summorumq; Pontificum. At in toto fere orbe Christiano iam morib', & legitima consuetudine receptum est, quod in puniendis clericis, licet de grauissimis criminibus tractetur, solus Episcopus procedere valeat nec consensu, nec consilio ipsius capituli Cathedralis ecclesiæ requisitis: quam consuetudinem admisit text. in cap. iij. de consuet. in. vj. eam æquam, & rationabilem esse decernens.

¶ Verum quia clerici Cathedralium ecclesiarum fere in omnibus prouincijs hanc consuetudinem non admisserunt, imo eam quo ad ipsorum punitionem, & correctionem exterminare semper conati sunt: idcirco quãtum ad canonicos, & alios in Cathedralibus ecclesijs dignitates habentes necessario seruãda sunt Pontificia & vetera Canonum statuta, vt simul hi puniantur per Episcopum, & capitulum in grauissimis criminibus: alioqui per solum Episcopum puniendi iuxta ea, quæ paulo ante tradita fuere de veterum in re constitutionum intellectu. Imo sanctius esset, & morũ correctioni vtilius, quod solus Episcopus punire posset, ac corrigere omnes suæ diœcesis clericos, etiam canonicos Cathedralis ecclesiæ, siue de graui, grauissima, aut leui pœna ageretur. Nam cum a capitulis ecclesiarũ Cathedralium duo eligantur canonici, qui de causa simul cũ Episcopo vel eius vicario cognoscant, sintq; ipsi iudices in causa propria: nusquam fere conueniunt cum ordinario, Episcopo quidem, aut eius officiali. Atq; ita causarum criminalium definitio maxime impeditur. Præsertim si annua visitatio est per Episcopum, & duos canonicos agenda, contingit sæpissime, eam visitationem inutilem esse. Nec inde aliqua morum correctio, criminũ & excessuum congrua pœnitentia deducitur. Quamobrem omnia ista forent solius Episcopi iudicio relinquenda, hoc potissimum tempore, quo clerici maxima viuendi licentia vtũtur.

✠

¶De his, quæ in Romanæ curiæ negotijs cenſura, & correctione indigent.

.§. Sextus.

QVemadmodum Roma ipſa, cui Sũmus Pontifex, & vniuerſalis eccl'iæ paſtor præcipue præſidet, caput eſt, ac vere cenſetur totius Chriſtianæ reipublicæ: ab eaq; leges, & iura reliquæ accipiunt vrbes: ita deberet equidem morum, & honeſtatis diſciplinam cæteris exhibere, quo Chriſtianæ religionis inſtitutio auſpice Ieſu in maximũ tenderet animarum, & ſpiritualis ſalutis expectatiſsimum commodum. Attamen, quod noſtris eſt adſcribendum criminibus, plura fiunt, & tractantur apud Romanam Curiam ipſo ſummo Pontifice inſcio, quæ vere minime ferenda ſunt, nec aliquo iuſtitiæ titulo, aut colore defendi commode poſſunt: cũ tot mala ex eis in vniuerſum orbẽ ſenſim, & plerumq; palam procedant. Quamobrem exorãdus eſt ipſe ſummus Pontifex, vt quę digna ſunt correctione, corrigat: et in meliorem ſtatum reducat.

¶Primum etenim ſunt in curia Romana tot officiales, quorum munus potiſsimum eſt pecunias præ auaricia maxima, & voracitate, ab ipſis litigantibus, & alijs extorquere: vt tandem iam nihil obtineri apud eandem curiam poſsit aliter, quam ingenti pecunia, veluti in precium rei impetratæ impenſa. Idcirco eſſet admodum vtile, quod non eſſent tot officiales in curia Romana, ac potius eorum numerus diminueretur: ne tot expenſis, & litigãtium diſpẽdijs locus ſit. itaq; ſatis eſſet, conſtitui duodecim ſcriptores Apoſtolicos: duodecim officiales ſigilli plumbei: duodecim referendarios de iuſtitia, & Gratia, qui ſeruiant Cãcellariæ, & Pœnitentiariæ vltra eorum regentes, & præſidentes: item duodecim pro regiſtro. Curſores vero, alioſq; minores officiales cõuenit reipublicæ ad minorem redigi numerum, pro arbitrio tamen eorum, qui negotia Romanæ curiæ iam dudum tractauerint: modo hæc officia minime ſint venalia: atq; eorũ poſſeſſores, & miniſtri moderatas accipiant ſportulas.

¶Expedit preterea reliqua omnia officia Romanæ curiæ omnino extingui: & eorum, quæ modo cõmemorauimus, miniſtros quolibet triennio viſitari per viros integræ vitæ, prius propoſitis edictis ad hoc, vt viſitatio vulgo ſit omnibus nota. Erit etenim vtilis hic ſyndicatus ad coercendam quorumdam officialium malitiam, eorumq; proteruas exactiones. Vidimus namq;, frequentiſsimeq; audiuimus Romanæ curiæ exceſſus, diligenterq; obſeruauimus, eos fere omnes oriri ab his, quæ abſque vllo Dei timore, libertate pernicioſa miniſtri officiorum publicorum inuerecunde cõmittunt. Eſſet deinde maxime vtile, quod Summus Pontifex certum, & competens conſtitueret

stipendium Rotæ auditoribus: tollẽretq; exactionem illam pro sententiarum pronunciatione vsu inductam: ne Rotæ auditores eas, quas ꝓpinas vocant, ab his, pro quibus ius dixere, sententiamq; definitiuam pronuntiauerunt, accipiant: ea siquidem consuetudo plurimum deuiat a vero cultu, & decore iustitiæ. Quin & illud eadem fere ratione est prorsus extirpandum, quod ipsimet auditores a notarijs exigunt, quolibet mense certam quantitatem pecuniæ recipientes ab eisdem. Hoc deniq; summe conuenit reipublicæ, vt iudices hi, quos summus Pontifex selectissimos habet, ab omni munere, eiusq; specie manus excutiant. His profecto, & alijs ex causis deberet prouideri, quod auditores Rotę quolibet triennio visitētur per aliquem Episcopum, Cardinalē, aut alium virum conscientia, & moribus præditum. Ex ea namq; visitatione perspicuū erit, qualiter iustitiæ exercendæ, ac reddēdæ iudices Rotę operam dederint, vt hinc bene meriti de republica premiū habeant a Romano Pontifice, cæteri vero ab eo munere, & summo prætorio statim abijciantur.

¶Numerus autem auditorū Rotæ restringēdus non est. Sixtus etenim quartus auditorū numerum ad duodecim restrinxit: statuitq;, quod auditores Rotæ corā vice cācellario examinarentur. Cum antea absq; vllo examine Camerarius de mandato Papę auditores reciperet per traditionē pilei, & rocheti, aliarumq; vestium, vt refert Aegidius a Bella Mera decisione. ccccccxj. quæ incipit. licet Capella. Quandoq; tamen fuere in Romana curia olim viginti auditores, quandoq; quatuordecim. Nam & sine numero erant constituti auditores, ad audiendum, & referendum tantum deputati: non ad definiendum secundū ea, quæ refert Speculat. in tit. de legato. §. iam nunc dicendū. vers. item nō obstat si obijcis: deinde vero data fuit auditoribus Rotæ potestas definiēdi & iudicandi: vt idem Speculat. sentit & asserere videtur in tit. de auditore. Verum de numero ipsorū nihil est modo immutandū: cum vrgentibus varijs, & pluribus negotijs tot iudices sint necessarij in eo Rotæ prætorio, quot a tēpore Sixti quarti fuere, & sunt constituti.

¶De Templis Romanæ vrbis, deq; diuino cultu in eis celebrando.

.§. Septimus.

Admonēdus est summus ipse Pontifex, vt maxima cura, diligentia, & solicitudine curet, quod ab ecclesia Catholica tollatur maximū scādalū, ex quo posset sequi sacrificiorū non ferendus contēptus. Etenim in vrbe Romana, vbi est ecclesia magister, & aliarū mater, adhuc in ipsa diui Petri Basylica, & alijs ecclesijs, quæ titulis Cardinaliū dicatæ sunt, visuntur ædificia sordida, & humilima maximeq; immūda: atq;

atque inibi sacerdotes ignari, vestibus induti, quibus viles homines, & ioculatores indui solēt, Missarum solēnia celebrant: Deinde altarium ornamēta ita sordida, vt & in aedibus villium personarū multo sint lucidiora. Constitui quidem possent viri Catholici, & discreti, qui nominati ad hoc munus per Romanum Pontificem, curam haberēt, quod templa Romanae vrbis honestis essent ornata aedificijs, vestibus, & alijs ad diuini cultus celebrationem necessarijs. Nam si Cardinalium palatia, aliorumque priuatorum hominum domus aulaeis & sericis cortinis, alijsque auro contextis tapetibus sunt admodum ornata: profecto indecentissimum est, quod Dei humani generis Saluatoris, & Apostolorum templa, in quibus preces, & sacrificia sunt pro salute reipublicae offerenda si non eundem, saltē decorum, & honestum ornatum nō habeant, ne Iudaeis, alijsque infidelibus res sit vilipendio.

De expellendis a Romana vrbe sceleratis hominibus.

§. Octauus.

EST & in vrbe Romana perniciosus abusus, qui dissimulatione quadam iam diu toleratur. Nam sceleratissimi homines Episcoporum, & aliorum iudicū ordinariorum iustissimam punitionem effugientes tanquam ad tutissimum asylum Romanam accedunt curiā, nihil aliud cogitantes, quam quod eo ipso sint a grauissimis delictis maxima cum iustitiae iactura immunes. Potissimeque conantur Episcopos, & praefatos infestissime persequi, nō ob aliam causam quam quod ipsi Episcopi veri iustitiae cultores eos ob grauissima scelera punire, et corrigere curauerint. Hinc sine passim videmus Clericos criminum atrocissimorum autores ab ordinarijs iudicibus fugiētes in Romanā curiam proprijs beneficijs, quae obtinebant, aequissime priuatos, breui compendio temporis in Hispaniam, patriamque redire ita liberos, vt non tantum beneficia quibus ob scelera priuati fuerant, cum maximo dedecore, & iustitiae contemptu, fauore, & importunis precibus, obtinuerint iterum apud Romanam curiam, sed & alijs pinguioribus honorati in praemium criminum liberam iterum millies peccandi licentiam fere impetrauerint. Hoc dolendū quidem est, omninoque exorandus erit summus ipse Pontifex, vt viros probatae vitae, & doctrinae ad hoc malum extirpandum eligat. Qui curā habeāt, inquirendi mores Romanae curiae: & praeterea inquirant de his scelestis hominibus, qui ad Romanam curiā nullo alio, quam exemptionis titulo accessere nullaque alia ex causa, quam vt Episcopos, & iudices ordinarios infestiue impetratis literis, & priuilegijs, quibus libere possint absque vllius iudicis disciplinā viuere.

¶ De Iudæis expellendis ab vrbe Romana.

§. Nonus.

PRæter abusum suprascriptū, apud Romanam curiam iam diu receptum, & inueteratū aliud in ea vrbe fit non minus detestabile: siquidem in ea tolerantur Iudæi publice iuxta Mosaycam, & veterē legem, sacrificia, ac ritus Iudæorum celebrantes in maximam blasphemiā diuini nominis, redemptoris q́ nostri Iesu Christi. Qui proprio sanguine fuso ritus, & cæremonias veteris synagogæ omnino antiquauit. Vnde nō possunt veteris legis instituta, maxime inter Euangelicæ, & Christianæ legis professores, nisi cum graui religionis Catholicæ iactura celebrari. Etenim Reges, & principes seculares Iudæos a proprijs regnis, & prouincijs funditus expulerunt, synagogas eorum omnino euertentes, ne cultui Christianæ religionis nocerēt. Hi vero Reges exemplum accipere debuissent a Romano Pontifice in instituendis his, quæ ad religionem pertinent: & tamen hic in re ab eis exemplum Romanæ propinciæ vere exhibetur: cum in Romana curia Iudei publice tolerentur, in regijs autē prouincijs iā diu fuerint a cōsortio Christianorū, imo a finibus expulsi: vt nostri Christianisimi Reges Hispaniæ fecerūt. Quamobrē esset Romanus Pontifex admonendus, quod vel curaret omni conatu Iudæorum ad fidem Catholicam baptismo suscepto conuersionem: vel eos hac in re admodum duros, & cōtumaces a curia Romana, & a tota Italia expelli. idē esset sub grauissimis pœnis, præmissis tamen exhortationibus iniungendum principibus secularibus, si qui sunt, qui tolerare Iudæos in eorum prouincijs minime verentur: essent sane cogendi eos a proprijs finibus expellere, si nollent legem illam dimittere, & nostram maxima cum veneratiōe adsumere. Nam quocunq́ in loco sint Iudæi, quibus libere permissum fuerit, ritus & sacrificia Mosaicæ legis celebrare, nisi extra Christianorum limites exterminentur ad Sarracenos, aut Turcas accessuri, non possunt non esse damno maximo pijssimis Christianis ob scādalum perniciosum inde procedens.

¶ Quod in omnibus Christiani orbis prouincijs constituantur inquisitores hæreticæ prauitatis.

§. Decimus.

QVantū vtilitatis Christianæ religioni officium hoc inquisitorum hæreticæ prauitatis attulerit, testatissimum erit his, qui eas habitauerint prouincias, in quibus de rebus fidei inquisitores præter Episcopos tractant, & summa cum deliberatione iudicant. Etenim si has regiōes quispiam cum his contulerit, quibus hæc non est insti-

tuta cura, facilime percipiet discrimina, quæ palam esse non dubitamus. Adeo namq; viget inquisitorum disciplina ob eorum iudiciũ graue quidem, & censuram diligẽtissimam, vt fere nullæ hæreses oriãtur: aut si quę pullulauerint, statim omnino extinguãtur in his locis, in quibus constituti sunt autoritate Apostolica hæreticæ prauitatis inquisitores, & iudices. At vbi non sunt iudices isti, passim videmus hæreses semel exortas non posse absq; maxima difficultate extingui, aliasq; quotidie exoriri ita frequenter, & hæreticorum proterua contumacia defendi, vt Episcopi, etiã diligentissimi minime valeant pestilentissimos errores a proprijs diœcesibus exterminare. Siquidem ordinariam huius negotij curã, & punitionis formam contempserint hi, qui impudentissime hęresibus, & erroribus animũ iam semel applicuerint. Quã obrem petendum est a summo Pontifice, vt in omnib⁹ Italiæ locis, alijsq; vniuersi Christiani orbis prouincijs speciales constituantur hæreticæ prauitatis inquisitores religione, scientia, & virtute insignes, qui vigilent super gregem dominicum, cum hæresibus expurgantes ad infirmorum confirmationẽ: & ne hæreses, quæ nũc pullulant amplius erumpant tanto cum Christiani nominis detrimento. His autem inquisitoribus constituendum est competens salarium vel ex redditibus ecclesiasticis, vel aliunde, vt liberius possint commissum sibi officiũ exercere. Erit præterea admodũ vtile quolibet in prouincia inquisitorẽ generalem nominari, qui super omnes alios his de fide negotijs super intendat.

¶ De meretricibus Romæ habitantibus.

.§. Vndecimus.

EST & in vrbe Romana satis deuitandũ scandalum, qđ multis est nominibus perniciosum: nam meretrices publicę, quę ignominiose, et maximo cum dedecore vitæ, & famæ miseros perdunt, & spoliãt, vt matronæ incedunt per vrbem, mulisue vehuntur, easque affectantur die ac palam nobiles familiares Cardinalium clericiq;, quod magis est dolendũ: præsertim quod nulla in vrbe hic videtur abusus, præterquam in ea, quæ deberet esse omnib⁹ alijs Christiani orbis ciuitatibus exẽplo: vt in hoc abusu, & alijs similibus inde correctio procederet, vnde leges & iura ad recte viuendum dantur.

¶ De dispensationibus, quæ pecunię causa conceduntur, aduersus veterum canonum Decreta.

.§. Duodecimus.

COnsueuere Summi Pontifices ad partes nuntios mittere Apostolicos, quibus in mandatis dat benigno amore, ac fauore

eos prosequutus, quod possint multis in casibus autoritate Apostolica dispensare. Qui quidem casus sæpissime sunt aduersus conciliorum vniuersalium, sacrosque antiquissimos canones. Nuntij autem non aliter dispensant in hisce casibus, quam certa iam, & taxata pecuniæ quātitate iuxta grauitatem casus ita quidem, vt nulla alia causa huius dispensationis vere constituatur quam ipsius pecuniæ solutio: quæ crescit ex grauitate casus: ac tandem palam fit commutatio disciplinæ Canonicæ cum pecunia. Nam & ad hunc exercitoriæ artis vsum constituuntur Satellites, & ministri, qui absque vllo delectu causarum, negotiorum, & personarum, tantum ob extorquendas pecunias faciliter dispensationum pretia, veluti mercium quarundam æstimationem publico edicto præfinitam exponūt, & facilius concedi ipsas dispensationes miris artibus satagunt. Vnde maximum exoritur scandalum: atque idcirco Romanus Pontifex pro maximo erga Catholicam ecclesiam zelo curare debet, & ab eo ita expostulandum est, quod ad hoc legati, aut nuntij officium viros mittat pietate, religione, & scientia, ac moribus insignes, qui aduersus iura Pontificia tunc demum gratis dispensationem largiantur, cum id causæ contingentes secundum negotij qualitatem expostulauerint. Quod si pecunia sit hac ratione extorquenda, ea est omnino in pios expendenda vsus, nō autem priuatim alicui cōcedēda, Fiscoue applicanda: ne videantur leges Pontificiæ publico vendi pretio.

¶ Quin & circa hoc Nuntij Apostolici officium, & munus multa sunt prouidenda ad vtilitatem publicam. Primum quod expeditiones impetratæ in fauorem pauperum, & piorum locorum gratis fiant nulla pecunia soluta non tantum ipsi Nuntio, sed nec eius ministris, aut officialibus. Hi vero censeantur pauperes, quos Episcoporum, seu ordinariorū iudicium testimonium tales esse probauerit.

¶ Item quod Nuntius Apostolicus causas coram Episcopis, & ordinarijs iudicibus pendentes minime possit aduocare, nec iudicibus ordinarijs inhibere. Istæ enim aduocationes, & inhibitiones maximam afferunt perniciem reipublicæ, dum ex his iustitiæ verus cultus tollitur, impediuntur litium decisiones, contemniturque potestas ordinarij iudicis. Sic sane conuenit, Romanum Pontificem minime hanc aduocandi, aut inhibendi potestatē Nuncijs, Legatisue permittere: imo expressim sanctitas sua debet eis iniungere, ne hæc, & similia in ordinariorum dispendium exequantur. Sat enim erit posse circa cōtentiosam iurisdictionem Nuntium Apostolicum appellationes non friuolas sed iustas ab Ordinariorum sententijs in casibus iure permissis admittere, recipere, atque examinare.

De dispẽsationibus circa beneficia imcompatibilia.

.§. XIII.

IVre Pontificio iam olim statutum est, beneficia imcompatibilia non debere vni cõferri: quod & ipsius nominis vis, & significatio probatissime ostendit, rationiq; naturali maxime est conueniens: quandoquidem ratio naturalis dictat, singula officia singulis esse committenda personis: nam vni vtcunq; docto, prudenti, & idoneo vno & eodem tempore non sunt duo officia diuersarum rerum committenda. capitu. singula. lxxxix. distinctione. & iurisconsultus in. l. si plures. ff. de pact. sic diuus Paulus. j. ad Corinth. vij. inquit, vnusquisq; maneat in ea vocatione, qua vocatus est, idest, in ea ecclesia ad quam est electus. capitul. j. xxj. quæstio. j. vbi citatur a Gratiano septima synodus prohibens beneficiorum pluralitatem. Idem probatur in concilio Placentino. capitu. sanctorum. lxx. distinctio. & præterea hoc ipsum prohibuere concilia Chalcedonense, & Agathense in capitul. clericum. & capitul. vnum. xxj. quæstione prima. Item & Lateranensis synodus in capitul. Quia in tãtum. de præbend. pluribusq; iuris canonici constitutionibus pluralitas hæc beneficiorum prohibetur, maxime in capitul. cum iam dudum. de præbend. capitul. cum singula. eodem titulo in sexto. & in extrauag. execrabilis. Ioã. xxij. vbi Zeuzelinus, et Guilielmus a Monte Lauduno in suis commentarijs, & glossis plurima connumerant, quæ in maximum damnum, ac detrimentum Christianæ religionis sequuntur ex hac beneficiorum pluralitate. Quibus quidem, & alijs cõsideratis hanc prohibitionem multi faciendam esse censent veteres canones, cum non permittant indiscretam, & frequẽtem hac in re dispensationem: sed tantum concedant, aut iustam esse censeant cum literatis, & nobilibus dispensationem istam. capitul. de multa. de præbend. tametsi negari non posit, dispensationem ad plura incõpatibilia posse iustificari ex alijs circunstantijs: nempe si vnum beneficium non sufficiat ad congruam clerici sustentationem: poterit etenim cum eo dispensari, vt obtineat duo, quæ simul sint sufficientia. capitul. cum adeo. capitul. si proponente. de rescript. notatur in capitul. postulasti. eodem titulo. capi. is cui. de præbend. in sexto. sufficiens autem hac in parte existimo beneficium illud esse, quod sufficiat sacerdoti & suis secundum Abb. in dicto capitulo cum adeo. post. glos. & alios ibi. quod idem Abbas expresius expõit: sibi et suis, idest quos sacerdos necessario secum debet habere: eos inquam, quos iure naturali alere tenetur, vel quibus indiget ad decens ipsius ministerium. Poterit etiam hæc dispensatio iustificari ex eo, quod non reperiũtur tot clerici idonei ad ecclesiarum administrationem, quot sunt necessarij: tunc

enim possunt duæ ecclesiæ vni conferri: sicuti colligitur ex Hostien. in capitul. graue. de præbendis. facit ad hoc text. in capitul. constitutis. in. ij. de appellat. dum in eo notari solet, ecclesiam conferendam esse illi, qui eam constitutam in necessitate possit ab eadem necessitate eximere, licet alio qui extra illam causam non sit admodum idoneus, aut saltem ita idoneus sicut alij, quibus posset ecclesia conferri: alijs item circunstantijs dispensatio posset in præsenti casu iustificari. Attamen res ista iam hodie ita indistincte fit, permittitur, & conceditur, vt plane non aliud, quam abusus nomen ei conueniat. Dispensatur etenim absque vllo discrimine cum indoctis, ignobilibus, diuitibus habētibus, vnde possint commode necessaria sibi ministrare; & plerumque cum his, qui nec linguam latinam fuere docti, frequēter item cum sceleratis. Quod detestabile omnino est, & in perniciē ecclesiasticæ disciplinæ maxime vergit. Idcirco abusus hic, qui ab auaritia tantū inualuit, tollendus est. Nec permittendæ sunt fraudes, quæ huius ratione fiunt, dum ad effugiendam prohibitionem Canonum, qui plurium simul ecclesiasticorum beneficiorum possessionem improbarūt, fit sæpissime vnio ad vitam plurium ecclesiarū. Quæ quidem cautela mera fraus legis est: quemadmodum & illa, quæ Commendæ nomen habet. Nam vni, & eidem clerico, qui forsitan vnius beneficij dignus non est, plura dantur incompatibilia beneficia: vnum quidem in titulum, alterum vero, vel alia plura in Commēdam: quod est manifeste contrariū veterum Canonum rationi. Igitur statuendum esset per vniuersale concilium, quod nulli vtcunque nobili, vt cumque litterato conferrentur duo, aut plura beneficia. Nobilibus etenim, & literatis, si prouide, ac recte bēneficiorum ecclesiasticorum distributio fit, conferri poterunt beneficia redditus habentia sufficientes iuxta personarum dignitatem. Ita sane fiet, vt Clericis secundum cuiusque merita fiat beneficiorum collatio. Nam si illiteratis, & indignis beneficia pinguia dentur, necesse hinc erit, quod viris literatis, & nobilibus dentur vel nulla beneficia, vel illa, quę tenues redditus exhibent. Quod si hoc malum e republica exterminetur, fiatque ęqua ecclesiasticarum dignitatum, & beneficiorum distributio, nulla vnquam vrgebit necessitas, quod cum viris nobilibus, & literatis dispensetur ad plura obtinenda beneficia. Inde etiam fiet, vt nullus locus hac in re sit dispensationibus, quæ omnino debent cessare propter scandalum, & quia maximā perniciē attulere Christianæ religioni, non quidem ex eo, quod concessæ fuerint ex causa, & consultissime, sed quia ob importunas, quandoque falsas preces sæpissime nulla ex causa, imo his, qui indignissimi sunt dispensationes conceduntur ad duo, & plura, quod dolendum est, beneficia curam animarum habentia. Non equidem impro-

bamus Commendas, nec vniones beneficiorum, modo eas fieri videamus ex causis iustis, & secundum iuris Pontificij iustissimas constitutiones.

DE PRESBYterorum filijs quoad ecclesiastica beneficia.

§. XLIIII.

OLIM statutum fuit, quod filij sacerdotum, etiam ante sacerdotium geniti minime possent obtinere beneficia ecclesiastica, quæ eorum patres immediate obtinuerant. capitul. ad extirpandas. capitul. conquerente. capit. præsentium. de filijs presbyt. Quæ quidem decisiones, etiam procedunt in filijs sacerdotum ante sacerdotiũ legitime natis. adeo vt Episcopus nõ possit dispensare, quod habeat filius sacerdotis legitime natus beneficium paternum. gloss. singularis in capitulo primo de filijs presbyt. in. sexto. quam sequuntur ibi Ioannes Andreas & Doctores communiter, vt scribit Abbas in capitulo vltimo. de filijs presbytero. colum. vltim. etiam si pater, sacerdos beneficium ecclesiasticum obtinuerit vt vicarius: quod probat textus in dicto capitulo, ad extirpandas. iuxta communem intellectum. Tametsi alioqui pater, & filius possint duo beneficia diuersa, etiam sub eodem tecto possidere, ac obtinere: sicuti probat textus. in capitulo. ad hæc. de filijs presbytero. notat præter alios Calderinus in consilio primo sub titulo de filijs presbyterorum.

¶ Attamen Clemens Papa Septimus videns quantum detrimenti ecclesiastico ordini accedat ex eo, quod filij obtineant beneficia, quæ eorum parentes habuerint, quantumque vtilitatis deduci possit reipublicæ Christianæ causa, si penitus malum hoc ab ea extirpetur: statuit beneficia ecclesiastica, quæ mediate, vel immediate patres habuerint, & possederint, non posse filijs cõcedi. Quæ quidem constitutio admodum vtilis est, ne videantur ecclesiasticæ dignitates, aut ecclesiastica beneficia iure sanguinis, vel successionis haberi: quod omnino reprobat textus in capitulo primo, de prebendis & & ibi Abbas. Idque adeo verum est, quod ob eandem rationem idem sit in nepotibus respondendum, vt tandem nepotes non possint obtinere beneficia, quæ eorum aui iam saltem immediate obtinuerint. gloss. in dicto capitulo. ad extirpandas. glossa. in capitulo Apostolica. octaua. quæstione prima. Ioannes ab Imola in capitul. ex parte. de officio delega. & est communis opinio secundum Abb. in dict. cap. ad extirpãdas licet Antoni. & Cardi. ibi contrarium iure verius esse cẽseãt. Etenim ꝑ priore

sententia, quam diximus communem esse facit textus. in. l. quod si nepotes. ff. de testamen. tut. & in lege filij. ff. de verborum significatione. Imo, si consideremus rationem principalem ex qua præfati Canones, & Decreta processerunt, erit idem dicendum in patre, vt is non possit beneficium ecclesiasticum quod immediate filius possedit, obtinere: quemadmodum visum est Hostiensi in capitul. quoniam. de filijs presbyt. tametsi gloss. in dicto capitul. Apostolica. octaua quæstione. prima. Ioan. Andre. Antoni. & Cardi. in dicto capitul. quoniam. Ancha. & Abb. in dicto capi. ex trāsmissa. de filijs presbyt. teneāt, posse patrem habere, & possidere beneficium ecclesiasticum, quod etiam immediate eius filius obtinuit. His nāq; iure veteri statutis, expedit modo, quod iterum hæc renouentur editis Canonibus, qui successionem istā in dignitatibus, & beneficijs ecclesiasticis adeo irrationabilem, & iniquā denuo fortius prohibeant. statuendū denique esset, quod Clemens Septimus Pontifex maximus sanxit: nempe quod filius non possit beneficium ecclesiasticum habere, quod eius pater etiam immediate possederit, aut alio possessore medio iam obtinuerit. Item quod nepotes beneficia ecclesiastica, aut dignitates non possit habere, nec consequi, quas eorum aui, etiā possessoribꝰ intermedijs habuerint. Deinde iuxta Hostiē. sententiam statuēdū esset, nō posse patrem habere beneficium, quod eius filius habuerit, etiam immediate, aut mediate. Item quod non possent duo Clerici habentes ecclesiastica beneficia in fraudem legis secum pacisci, etiam autoritate Romani Pontificis de renunciandis beneficijs in hunc modum: vt vnus ex eis respectiue renunciet beneficio in fauorem filij alterius ea conditione vel publica, vel occulta, quod alterius Clerici beneficium in fauorem eius filij dimittatur per resignationem. Nam hæc pactio permittenda non est, nec Romanus Pontifex debet huic cautelæ autoritatem exhibere. Cum id sit maxime perniciosum, inducat q; grauissimum scandalum. His etiam accedere debet summi Pontificis cura, & Decretum inuiolabile de non tollendis his Canonibus, nec Clementis Septimi constitutione per dispensationem: male etenim audit dispensatio in his casibus concessa, per quam res ecclesiasticæ, quæ communi distributioni ad meliorem cultum religionis Christianæ destinantur, priuatæ, & hæreditariæ passim fiunt.

¶ De filijs Hæreticorum.

.§. X V.

CVM autem iure sit definitum filios & nepotes hæreticorum, aut de crimine hæreseos dānatorū ad dignitates, & bn̄ficia ecclesiastica, atq; ad officia publica sęcularia eligi nō posse, inhabilesq; esse ca. ij. §. ad hæc. & §. hære. & ca.

statutum. in secundo. de hæret. in sexto. Nihilominus tamen dispensatur per sedem Apostolicam contra iuris dispositionem cum his, vt ecclesiasticas dignitates, ecclesiastica beneficia, & officia secularia possint obtinere. quæ res est mali exempli, præsertim cum hi sint homines indocti, malis morib⁹ præditi: &, quod grauius est, suspecti vrgentissima suspitione, quæ dictat, eos parentum vitia, & errores imitaturos. Vnde periculum grauissimum est, quod his ecclesiarum cura, aut munus aliquod publicum in Christiana Republica committatur. Huic malo medebitur vere Romanus Pontifex, si ab his abstinuerit dispensationibus, curaueritque diligenter, quod iura hac in re statuta seruentur exactissime: cuius rei causa est inquisitoribus hæreticæ prauitatis iniungendum, vt non obstantibus his dispensationibus aduersus filios aut nepotes hæreticorum, aut dãnatorum de hæresi procedant secundum iuris Pontificij constitutiones: nempe ad priuationem beneficiorum ecclesiasticorum officiorumq; sæcularium, si ea obtinuerint filij, vel nepotes hæreticorũ, aliorumue huius criminis damnatorum per has dispensationes ita importune, & inique a sede Apostolica extortas.

¶ De dispensationibus circa religiosos concessis.

§. XVI.

Solet etiam Summus Pontifex ex falsis precibus deceptus facilime cum quocunq; religioso dispensationem petente, & pecuniam soluente, vt de ordine Sancti Dominici, vel Sancti Francisci, vel Sancti Benedicti, & aliorum ordinum Obseruantiæ, in quibus sunt professi, transeant ad ordinem Sancti Spiritus, aut Sancti Ioannis Hierosolymitani. Qui tandem hac dispensatione vtẽtes sæculariter viuunt aduersus ea, quæ nouerunt, in magnum scandalum totius plebis Christianæ. Nam qui eos viderunt diui Dominici, aut Sancti Francisci vestibus indutos sub eorundem ordinum religiosissimis prælatis vitam agentes honestissimam; plurimum scandalizantur videntes eos sub titulo religionis libere, & absq; vlla moru, incautela plusquam sæcularem vitam agere, nulli Prælato, nec religioni subditos. Id vero magis admiramur Reuerendissimos Dominos Cardinales, qui Romæ commorantur Pontifici summo adsistentes tanquam consiliarijs, totiq; reipublicæ Christianæ intendentes, fugitiuos istos, & Apostatas Romam accedentes pro obtinendis hisce dispensationibus, maximo fauore admittere, summoq; conatu fouere, vt tandem has viuendi libere indulgentias adsequantur. Nec tamen totum Sanctissimum illum Cardinalium ordinem huius notamus culpæ, absit etenim a nobis tam impia censura de his, quos religiõis Christianæ Cardines

esse meritissimos, fortissimosq; opinamur: sed hæc diximus, quia sæpissime audiuimus apostatas istos sub tutela, & familiaritatis nomine apud quosdam admitti Cardinales, fortassis huius criminis inscios, & tandem hoc fauore, & patrocinio libertatem istam transeundi ab ordine, & vera religione ad simulatum religionis cultum obtinuisse. Hi vere nec religiosi sunt, quippe qui nulli ordini, nulli prælato sint subditi: nec deniq; clerici seculares: nam prætextu religionis, ad quam transierunt, se exemptos esse censent, & prædicant a iurisdictione ordinariorum. Vnde omnino sunt exempti, atq; liberius vitam agunt, quam clerici seculares, quos Episcoporum disciplina constringit. Huic sane malo, & perniciosissimo scandalo necesse est quod obuietur, & quidem poterit obuiam ei iri, si Summus Pontifex ab his abstineat translationibus. & dispensationibus: aut deniq; si relictis quatuor ordinibus mendicantibus, monachis sancti Benedicti, & sancti Bernardi, ac diui Hieronymi, reliqui omnes tollerentur, aut reducerētur ad hos: & si omnes religiones fuerint sanctissimo, pijssimoque proposito institutæ. Nam tunc posset ex iustis causis monach⁹ vnius religionis ad aliam transferri, itaq; translatus viueret adhuc sub religionis habitu, sub disciplina prælati, deniq; vt vere religiosus: nec in hac translatione quidquam fraudis suberit: cum in qualibet harum religionū domo seruetur morum honestas; & paucis in rebus discrimen sit inter eas: aut sane in potissima religionis, & sanctitatis parte fere eadem sit viuendi forma. Sic etenim fiet, vt pauci religiosi procurent hanc ab vno ordine in alium transmigrationem.

¶ Est & in hac materia abusus quidam minime tolerandus: Nam religiosi diuersi ordinis, qui post votum solenne a sua religione recedunt, & apostatæ censentur, si vere rem ipsam consideremus, postquam a Romanis Pontificibus impetrarunt exemptionis indulgentiam, & dispensationem, vt fortior sit eorum exemptio: etiam quandoq; pro pecunijs Episcopi creantur titulares. Qui præter multa alia, quæ committunt in religionis, & ordinis contemptum, ac dispendium in diœcesibus ordinariorum, & ipsis inuitis ordines conferūt omnibus indistincte, ac passim mere laicis, lenonibus, adulteris, homicidis, pretium dantibus pro ordinum collatione. Ex quo multa mala sequuntur, & precipue, quod ordinati ab his Episcopis nullam ob aliam causam ordinantur, quam vt a iurisdictione seculari eximantur, libereque possint pœnam, & vltionem minime timentes flagitia, & scelera in reipublicæ perniciem committere. Sic etenim videmus homines sceleratissimos quotidie ratione primæ tonsuræ, & clericalis ordis defendi a iudicibus ecclesiasticis aduersus iudices seculares, regiāq; iurisdictionem. Quamobrem hi religiosi non sunt creandi titulares Episcopi, nisi cum approbatione, &

consensu prælati eorum superioris. is enim poterit instruere Romanum Pontificem de moribus, doctrina, & integritate eius, qui ad titulũ Episcopatus est promouendus. Alioqui iustissime statui debet, quod Episcopi titulares religiosi aliter ordinarij, seu creati in pristinum religionis statum & monasteriũ detruderẽtur per proprium prælatũ ad huius rei exequutionem implorato auxilio Episcopi, iudicisq; ordinarij.

¶ Sunt præterea aliquot religiosi Episcopi titulares, qui dignitates, & canonicatus habent in ecclesijs Cathedralibus ex Apostolica dispensatione cõtra ius ipsum Pontificiũ. Oporteret prouideri, quod in hoc nulla cõcederetur dispensatio, vt tandem hoc malum exemplum a religione Christiana extirparetur. Extra ecclesiã vero Cathedralem etiam esset admonẽdus summus Põtifex, quod hisce monachis titulo tenus Episcopis per dispensationem aliquot beneficia simplicia, ex quibus possint, si docti, & bene meriti sint, alimẽta sibi ministrare, cõferãtur. Sic sane fiet, vt ambitiosæ Episcopatuũ titularium petitiones omnino, aut magna ex parte cessent.

¶ De Spolijs & Annatis.

§. XVII.

EST & præter alios abusus maximi dispẽdij, quiq; Christianum orbem grauiter scandalizat, quippe qui ab auaritia, quæ ydolorum seruitus est, manifeste procedat. Est deniq; nuper moribus inductum in perniciem grauissimam ecclesiarum, prælatorum, & pauperum, quod in aliquot regnis, & prouincijs sedes Apostolica pcipiat spolia decedentium Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac præterea omnes fructus ecclesiarum sede vacante: cũ hæc omnia de iure pertineãt ecclesijs, & successoribus ad ædificia, & reparationem ecclesiarum, & domorum Episcopalium: item ad soluenda ipsorum Episcoporum debita, ad satisfaciendumq; familiaribus eorundem, quibus mercedes, & stipendia ob ministerium Episcopis ipsis fideliter, & diligenter præstitum iustissime debẽtur, & soluenda sunt. Modo autẽ his spolijs perceptis nomine sedis Apostolicæ per nuntium Apostolicum, aut per alios, qui per eum huic negotio per singulas dioeceses constituuntur, nec familiaribus Episcoporũ, nec eorundem creditoribus vlla fit satisfactio. Imo nec pia legata relicta per Episcopos propriæ dioecesis pauperibus, hospitalibus, fabricis, & ecclesijs solui possunt. Oportet igitur quod hæc spoliandi prælatorũ defunctorũ hæreditates nomine sedis Apostolicæ consuetudo abrogetur iuxta cõcilium Constãtiense, & demum bona Episcoporum eis mortuis distribuãtur secundum veterum canonum decreta: hæc etenim distributio admodum conueniens est ecclesijs, & reipublicæ Christianæ.

¶ Moribus etiam inductum est, qđ

camera Apostolica in collationibus, & prouisionibus beneficiorum ecclesiasticorum, canonicatuum, ecclesiarũ. q Cathedraliũ summã viginti quinq ducatorum excedentium annatas accipere. Quod olim fortassis fuit iustum ad subueniendum necessitatibus, & sumptibus Apostolicæ sedis propter inopiã Cameræ. At nunc redditus cameræ satis ampli sunt plurimũ q creuerunt: idcirco ratio cessat, ex qua subsidium istud fuit inductum. Quamobrem subueniendũ est huic malo, & obseruanda sunt cõcilia Cõstantiense, & Basiliẽse, quibus hoc ius percipiendi annatas, tãquam minime conueniens, improbum censetur, & ideo tollitur. Nam si pie omnia consideretur, hæc annatarum exactio speciem mali habet, atq vtinam absq simoniæ labe fiat. Quod ita existimãdum est ob autoritatem Romani Põtificis, de quo nulla ratione, quæ iusta sit, simoniæ pmissio præsumẽda est. ¶ Eadem ex causa debet tolli hoc annatarum ius in quindẽnijs beneficiorum ecclesiasticorum causa iam intro ductis, propter eorundẽ vniones perpetuas. Soluitur siquidem ex vsu Romanæ curię ex beneficijs vnitis quolibet quindẽnio annata Cameræ Apostolicæ: idest dimidia pars annui redditus ipsius beneficij vniti. Vniones etenim perpetuæ non sunt ita temere, & sine causa concedendæ: attamen si concessæ fuerint ex causis iustis, libere, atq absq vllo subsidio, & censu debent fieri, vt prorsus symoniæ vitium, eiusq suspicio absistet.

¶ De expectatiuis, & reseruationibus.

§. XVIII.

FIT etiã in Romana curia circa vacaturorũ bñficiorũ collationem cautela quædam, ita etenim loqui fas est, siquidem gratiæ expectatiuæ, & reseruatiões indistincte petẽtibus dantur partim quo ad sex, sæpissime quo ad octo, & frequẽter quo ad omnes menses in magnam perniciem, & grauissimum scandalũ totius populi Christiani. Dãtur etenim hæ reseruationes, & expectatiuæ pueris filijs mercatorum, & diuitum, ac nonnullis, quorum maiores fuerunt de hæresi suspecti, aut genere iudæorum infecti, præterea viris prophanis, qui arma, non literas: Palæstram, non ecclesiasticam disciplinã: vitia, non ordinem calẽt. Quo fit, vt sacerdotia ecclesiastica ab his possideãtur, qui omnino sunt indignissimi, hi vero, qui literis operam maximo cũ labore, & dispendio proprij patrimonij, omni virtute atq eruditione prædit in grauem ignominiam reipublicæ mendicare fere cogantur. Hac sane causa oportet, quod ab vniuersali synodo, aut ab ipso Romano Pontifice statuatur, quod beneficia saltem curam animarũ habentia filijs, quos vocant patrimoniales, conferantur ea quidẽ forma, vt eruditiores alijs præferantur præmisso examine rigoroso ipsorum patrimonialium filiorũ per Episcopum publice indicendo: modo fraus

do fraus oĩs cesset. Qua in re, sicut & in multis alijs, puida, & cõsulta examinatio Episcopi iudicio est omnino relinquenda. Nam ex hoc vniuersalis concilij, aut Romani Pontificis Decreto duo sequuntur, quæ secundum veteres Canones admodum vtilia censentur. Primum, quod viri moribus, & eruditione insignes, aut saltem mediocri doctrina præditi beneficia curam animarum habentia obtinebunt, & administrabunt. Ex quo quanta immineat vtilitas animarum regimini, satis est manifestum. Secundum, quod in qualibet diœcesi indigenæ, & diœcesani instituentur saltem maxima ex parte expulsis extraneis. Quod æquissimum est: cum ab eorum parentibus, aut maioribus ecclesiastici redditus, dotes inquam ecclesiarum processerint: & decimę ex eorum, vel parentum prædijs ad ministerium ecclesiasticum quotannis soluantur. Hoc poterat multis comprobari, sed duntaxat aliquot adducam autoritates, quibus iure ipso ita videtur statuendum esse, & seruandum. Nam text. in. capit. Bonæ. in secundo. de postulat. præ. quo probatur, non esse instituendos in beneficijs ecclesiasticis exteros reiectis, aut exclusis originarijs, seu diœcesanis, plurimum hanc sententiam adiuuat. idem confirmatur ex text. & gloss. in capitul. ad decorem. de institutio. Quibus accedit glossa. in capitul. si proponente. de rescript. quæ scribit, teneri quem in impetratione beneficij mentionem facere, quo ex loco sit, cuiusue diœcesis: alioqui impetrationem esse surreptitiam. Quam gloss. commendauit post alios Felin. in capitul. sicut tuis. de simonia. sic regula. xv. Cancellariæ voluit, cæteris paribus præferri diœcesanum, & originarium exteris. ad idem optimus textus. in lege in ecclesijs. vbi Bald. C. de Episcopis & Clericis. l. secunda. C. de annonis ciuilib. libro vndecimo. Ex quibus illud notari poterit, quod præsentatis duobus a patrono, ille est ab Episcopo instituendus, qui indigena, & originarius sit, non exterus. proqua decisione facit glossa. in capitulo hortamur. lxxj. distinctione. textus. in capitul. nullus inuitis. lxj. distinctione. idemque similiter deducitur ex gloss. in capitul. si pater. vers. pauperes. de testament. in sexto, vbi scribitur, quod si testator reliquerit centum distribuenda in pauperes, illa distributio debet ita fieri, vt pauperes domicilij testatoris cæteris præferantur. Cuius quidem conclusionis eam probantes ibidem meminere Ioannes Andreas. Francus. & alij; atque etiam Felinus in dicto capitulo. sicut tuis. & in capitulo. vltimo columna decima. de foro competenti.

¶ De facultate resignandi beneficia, quæ in Romana curia solet concedi.

.§. XIX.

DAntur in Romana curia facultates quibusdã eas miris fraudibus, & cautelis procurantibus: quarum vigore, & potestate hi possint quocunq; tempore, etiã in mortis articulo, coram quocunq; sacerdote beneficia ecclesiastica resignare, hisq; renuntiare. Hæ autem renuntiationes fraudulenter fiunt sæpissime, beneficiaq; dimittuntur amicis, & alijs huic negotio suppositis ea intentione, vt eadem beneficia conferantur his, in quorum fauorem ea resignauerant. Interim vero fructus percipiunt illorum beneficiorum quasi ex deposito: quodq; peius est, sacerdotia filijs, aut nepotibus eorum, qui renuntiauerant, conferuntur. Cum tamen iure Pontificio, sicuti superius dictum est, sit omnino hæc successio iure sanguinis in beneficijs ecclesiasticis improbata. Quod si Christianam, Catholicamq; religionem vere profiteamur, vt & in sacro baptismatis lauacro testati sumus, ac denicq; sciam Deo Optimo Maximo nullã posse fraudem fieri, videbimus has cautelas dolos, & fictas sacerdotiorum conuẽctiones nihil aliud esse, q̃ salutis spiritualis manifestam perniciem: quandoquidem quod iustissime sacratissimæ Canonũ Constitutiones in vtilitatem maximam religiõis Christianæ statuerunt, violata ratione ipsa, quæ anima legis est, verbis superstitiose obseruatis in præcipitium ruit. Nihil etenim olim a sanctis patribus statutũ est, quod hodie, hocq; infœlici tẽpore seruetur saltem quo ad eius viuam rationem, si id materiam auaritiæ, & lucris, commodisque pecuniarijs præstare potest. Ad hoc sane malum extirpandum, quod in his resignationibus contingit, oportet synodica constitutione, aut per Romanũ Pontificem declarentur hæ resignationes illicitæ, simoniacæ, & nullæ grauissimis pœnis statutis aduersus ita expresse, aut tacite paciscentes nõ obstante facultate obtenta; quæ præsumẽda est surreptitia, aut denicq; importunis concessa præcibus. Poterit deinde admoneri summus Pontifex, ne has facultates concedat, quamuis a viris nobilibus, ab ipsisq; Cardinalibus fuerint petitæ.

ℂ De simonia:

.5. X X.

VTinam ita pie, ac sincere beneficiorum Ecclesiasticorũ collatio apud Romanã curiam tractaretur, quod nobis nulla ex parte negotium esset præscribere, quid ad simoniæ vitium exterminandum per synodum vniuersalem, aut Summum Pontificem statuendum sit. Attamen adeo vitium simoniæ frequens est, & veluti res honestissima in vsum deducitur nulla vnquã punitione huius sceleris a iudicibus ecclesiasticis præmissa, vt plane opere prætiũ sit quedã de hoc subnotare vitio, quæ abusu quodã licita existimantur, cum prorsus iniquissima sint.

ℂ Est etenim detestabilis abusus, qui

dissimulatiõe quadã apud Romanã curiã satis permissus censetur: saltem minime punitur. Nã vacãtibus bñfi cijs aliquot i curia Romana accedit quis ad datariũ, & dicit, se officiũ aliquod emisse eorum in quam, quæ maximo cum incommodo permutãtur cum ecclesiasticis beneficijs, atq; asserit se velle officium illud permutare: conuenitq; inter eum & datarium de permutatione ficta quidem, quia is officium nullum habet, & tamen pecunia illius æstimationem paciscitur, quam dat vere pro beneficijs spiritualibus: quæ eidem viro sceleratissimo conferuntur exclusis viris eruditiõe, ac moribus insignibus, quibus iure optimo, non simoniacis essent beneficia ecclesiastica conferenda, si ecclesiæ principes velent huic negotio summa cura, & diligentia intendere. Erit igitur hic abusus omnino tollẽdus: idq; fieri poterit, si fictæ permutationes istæ penitus tollantur, nec vlla fiat permutatio, quæ non sit beneficij ecclesiastici cum alio itidem ecclesiastico beneficio, aut dignitate, permutatione aliter facta grauissime punita præter eius rescissionẽ. Deinde oportet diligentissime inquiri, an datarius his fraudibus autoritatem dediderit: atq; si repertum fuerit, eum huius cõuenctiõis ratione culpã aliquam contraxisse, erit acerrime puniendus.

¶ Aliud etiam illicitæ pactionis genus apud Romanam curiam nuper est inuentione dæmonis inductum, quod beneficia, ac dignitates concedũtur aliquibus, existentibus in ipsa curia, quorum officiũ est publice absq; vllo dei, & Romani Pontificis timore beneficia, iuraq; spiritualia vẽditioni exponere. Hi quidem beneficia sibi a Romano Pontifice collata, literis nondum confectis resignant in fauorem alicuius, vel quia ipsi exteri sunt, nec possunt ecclesiastica beneficia apud Hispanos, aut Gallos obtinere: vel quia seruire ecclesijs, religionique Chrĩanæ ministrare neq̃unt, auaritia obcæcati pensionẽ ex prædictis bñficijs paciscuntur sibi reseruari: pro eius solutione cambium, aut sane campsorem quendam diuitem promissorem, principalemque debitorem, ac si de re temporali ageretur, postulãtes. in ipso autem huius cõuenctionis initio conueniunt item de redemptione pensionis. Vnde in summa beneficia ipsa ecclesiastica his præmissis pactionibus ita venduntur pecuniario pretio, quemadmodũ venderentur prædia, aliaq; tẽporales res. Quamobrẽ hac in specie multa forent per concilium, aut Summum Pontificem statuenda. Primum quidem quod beneficia, & dignitates ecclesiasticæ conferantur viris moribus, & scientia probatissimis, de quibus nulla posit præsumptio adsumi, quod hos, aut similes contractus in renuntiandis beneficijs, tractabunt.

¶ Deinde nulla renuntiatio beneficij admittenda foret, nisi prius speciali iuramento renuntians asseueraret, liberam esse renuntiationem in fauorem Titij, & ab omni simoniæ vitio immunem: cogereturq; quascũq;

pactiones cum quocunque ea de causa initas manifestare sub pœna periurij & excommunicationis latæ sententiæ, cuius absolutio Romano tātum Pontifici esset reseruata, ac demū sub pœna quinque aureorum soluenda quidem in conscientiæ foro ipsi ecclesiæ, in qua beneficium ecclesiasticū extat. Sic etenim erit manifestū quid clam inter pasciscētes actum fuerit, & an pactiones licitæ sint.

¶ Præterea est penitus reprobanda pactio ab initio facta de redimenda pensione. Nam ea illicita est, manifestamque simoniæ labem continet: cū nihil aliud significet, quā beneficij vēditionem ob prætium illud, quod est in redēptionem pensionis soluendū.

¶ Huius, & aliarum pactionū causa ad punitionem tanti criminis oporteret singulari cura, & seueritate vigilare, quod cōstitutiones Canonicæ punientes simoniā absque vlla exceptione seruaretur. Eritque renouanda seueritas pœnarum, quas contra hoc malum vetera iura sanxerunt: nec cuique permittendum est aliquid, quod huius criminis speciem habeat. Etenim ab hac radice multa mala circa cultū diuinum, animarum curam, & ecclesiarum ministeria procedunt. Præsertim quod male audiunt Principes ecclesiastici, dū apud laicos, & sæculares passim eorum segnities in his cōuenctionibus permittendis improbatur.

¶ De Pensionibus reseruandis.

§. XXI.

IN hoc equidem beneficiorum ecclesiasticorum tractatu potissime obseruandum erit, atque omnino statuendum est, quod veteres Canones diligentissime custodiantur. His etenim constat, non temere pensiones constituendas esse super beneficijs ecclesiasticis, sed tunc demum, cum causa iusta hoc expostulauerit: nempe ad subueniendum clerico pauperi, bonis moribus prædito, qui cū ministret religioni Christianæ ex eius redditibus, atque ideo ex ecclesiasticis bonis alendus est ita quidem, vt ab inopia, & mendicitate liberetur, vel iuxta laborem in ministerio spirituali impensum congruā mercedem, atque stipendium habeat: secundum ea, quæ traduntur in capitul. nisi essent. de præbend. capitul. ad audientiam in secundo. de rescript. capitul. quamuis. de præbend. in sexto. notant late Oldrad. consilio. ccxxvj. & Ancha. consilio. cclxxiiij. Apud quos hæc est cōmunis opinio, quod pensio per Episcopum non possit super beneficio ecclesiastico absque iusta causa constitui: idem est dicendum in legato sedis Apostolicæ: nam & is nō potest, nisi aliud habeat in mandatis, pensionem cōstituere super beneficio ecclesiastico, etiā ex causa resignatiōis. Romanus autē Pontifex pēsionē po

test constituere super beneficio ecclesiastico etiam sine causa: quasi ipse in beneficiorum collatione liberrimam plenissimamq; potestatem habeat.cle. j.vt lite.pend.cap.ij.de præbend.in vj.quod in hac materia de pensionibus expresse notat Deci. in consilio. ccccxxxvj.col.ij. Qui hanc opinionem intelligit quo ad potestatis plenitudinē,& sic quo ad potestatē absolutam: quia de potestate ordinaria non potest summus Pontifex pensionem sine causa super beneficio ecclesiastico imponere: idem late probant Romanus in consilio. ccclxix. & Felin. in dict.capit.ad audientiam.col.ij.& sequentibus: vbi addit,non esse etiam de potestate ordinaria necessariam in Romano Pontifice ita iustā causam, vt est in Episcopo. Potest etenim Romanus Pontifex pensionem super beneficio ecclesiastico imponere ex causa extinctionis litis,cōcordiæ,resignationis,aut cessionis: quemadmodum ipse Feli.tradit. Episcopus autem causa concordiæ,& dirimendæ litis quāuis possit pensionem constituere super beneficio ecclesiastico,ea tamē nō erit realis,sed personalis: sicuti notatur in dicto capitul.Nisi essent. hanc autem causam iustam esse pensionis constituendæ ratione litis extinguendæ probatur in eadem decretali.

¶ Nos vero maximam esse fatemur Summi Pontificis potestatem in beneficijs ecclesiasticis distribuendis, & cōferendis: ipsum tamen admonem⁹, eius potestatem esse administratoris iusti, & recti, non autem ita liberam, quod absq; vllo delectu indignis, & sceleratis possit licite beneficia ecclesiastica conferre. Nam & si collatio facta per Romanum Pontificem alicuius beneficij scienter indigno titulum tribuat, nemo tamen dubitabit, Romanum Pontificem in ea collatione temere facta grauiter peccasse. Sic etiam si liberam, & plenissimam potestatem habeat circa redditus beneficiorum,& ecclesiarū, ea potestas pertinet ad iustam, & æquam dispensationem: siquidem iniqua dispensatio, quæ damnum religioni Christianæ, ecclesijs,ac cultui diuino irrogat, non potest vllo pacto licere. Nec enī posset Papa redditus ecclesiasticos alicuius ecclesiæ distribuere in vsus profanos, qui nec vniuersali reipublicæ, nec particulari ecclesiæ aliquam afferant vtilitatem.

¶ Vnde his equidem præmissis erit vel per vniuersalem synodū, vel per Romanum Pontificem prouide statuendum cum legis exequutione, qd' nulla pensio possit reseruari ex causa resignationis. Contingit enim sæpissime, idque fit consensu,& autoritate Summi Pontificis,beneficiū resignari in alterius fauorem ab eo, qui nec pauper est,nec vllum vniuersali, aut particulari ecclesiæ, in qua beneficiū illud habuit,ministeriū impendit, qd' mercede,aut pręmio dignum sit: & tamē reseruatur ei pensio ꝓfecto absq; vlla causa. Quod permittēdū nō est nec p ipm Romanū Pōtificē ꝓpria autoritate probādum. redditus nāq; ecclesiastici nō debēt temere, & absq;

causa distribui his, qui ecclesiæ nõ seruiunt. Is autem, qui resignat beneficium, si quod ministerium illi ecclesię impendit ante resignationem in ordinarij muneris exequutiõe, id sibi iam ex fructibus, ac redditibus perceptis satis fuit retributum. Nec sola renuntiatio potest esse causa iusta pensionis. Quia ipse renũtians tenetur vel seruire ecclesiæ, vel dimittere beneficium, vt integre detur ei, qui in eo valeat ministrare: cum post renuntiationem illius nihil iuris vere habeat ad percipiendam vel minimã reddituũ portionem. Sit igitur iustissima, & æquissima conclusio, ex causa sola resignationis non posse pensionem resignanti reseruari, etiam autoritate Sũmi Põtificis. Nam licet reseruatio eadem autoritate facta nõ possit rescindi, aut irrita iudicari per iudicem humanum ob plenissimam potestatem, quæ Romano Pontifici in his redditibus distribuendis competit: tamen nihilominus ea iniqua censebitur: nisi facta fuerit eo casu, quo resignãs ob aliquod iustum impedimentum non potest ecclesiæ ministrare, & seruire, sitq; pauper, & de ecclesia benemeritus: tũc etenim ei poterit reseruari cõgrua pensio eo quidẽ pacto, quod maneat ex redditibus ecclesiæ cõueniẽs portio ad ministrorum alimenta, & congruam sustentationẽ. Nec deberet pẽsio etiam iustis ex causis reseruata tertiam partem excedere reddituũ ipsius beneficij, essetq; absq; vlla exceptione hæc moderatio penitus obseruanda.

¶ Ex his infertur, non admodum licitam esse pactionem illam in Romana curia frequentissimam, qua conueniri solet, vt habens beneficium, eiusq; titulum iustissimum id resignet in fauorem Petri, modo Petrus cõsentiat reseruationi certæ annuæ pensionis in fauorem renuntiantis. Etenim nõ arbitror pactionem istam, etiam si pẽsio sit ex Romani Pontificis autoritate constituenda, immunem esse a symoniæ vitio: nam renuntiatio fit beneficij spiritualis propter consensum præstandum pensioni, quæ temporalis est: siquidẽ cum ea permutari beneficium ecclesiasticum non potest: secundum Card. q. ix. & Imol. in clemen. j. de suppleud. negli. prælat. §. eadem. Frederi. in tract. permutationum. q. ix. Atq; ita in casu pręmissę conuenctionis, de qua modo agimus, eam suspectam esse, iureq; reprobari senserunt Abb. Anania. & Felin. in cap. non satis. de symonia. Archid. in cap. quicunq;. j. q. j. Præpo. in capi. sed adhuc. j. qõ. iij. colũ. ij. sensit idem Felin. in capi. ad audientiam. in. ij. de rescript. colum. ij.

¶ Inde etiam constat, maiori ratione posse reprobari quod facilime, vt honestissimum, in Romana curia admittitur cum tamen id sit admodum perniciosum. Etenim resignat quis beneficio ecclesiastico in fauorem alterius cum eo pacto, quod is cõsentiat reseruationi omnium fructuum beneficij a Romano Pontifice faciendæ in fauorem renũtiantis, & ad eius vitam. Ex hoc siquidem abusu multa mala

ſequuntur. Primum quod beneficia eccleſiaſtica indoctis, & prauis hominibus conferuntur. Docti etenim, & honeſtis moribus prædIti ab his abhorrent pactionibus. Deinde vni datur titulus, & ei onera beneficij eccleſiaſtici incumbunt, alteri vero redditus eccleſiaſtici, & commoda eiuſdem beneficij conceduntur: cum ex beneficiorum inſtitutione, ratione naturali & iure ipſo Canonico ad eum pertineant redditus, qui onera dignitatis, aut beneficij ſubire tenetur, & vere ſubit. Præterea ſæpiſsime vidimus ex hac cauſa ſeruientem eccleſiæ, & beneficio paupertate oppreſſum cogi mēdicare aduerſus Clericorum, & ſacerdotum honeſtatem, alterum vero, qui nullum ſuſtinet onus, & qui fortaſsis nuſquam eccleſiæ ſeruiuit, eius redditibus luxuriari vel diuitē eſſe. Quaobrem malum hoc extirpandum erit ab eccleſiaſtica repub'ica, cauendūq; maxime, ne beneficia eccleſiaſtica his factis reſeruationibus conferantur. Quod ſi aliqua fieri debeat reſeruatio, ea ſane permittitur ex cauſa iuſta: nempe cum renuntians beneficio ob ſenectutem, vel aliud iuſtum impedimentum eccleſiæ, cui iam miniſtrauit aliquo tempore, non poſsit commode ſeruire, petatq; vel coadiutorē, vel dimittat beneficium alteri, qui ſeruire valeat eccleſiæ reſeruata ſibi alimētorum iure cōgrua portione, quæ tertiam partem fructuum beneficij minime excedat. Sic etenim vtilitati eccleſiæ, & miniſtrorum gratificationi conſulitur.

De reſeruationibus.

§. XXI.

IVre Pontificio iam olim plures fuere inductæ reſeruationes, quę non admodum vtiles eſſe ſolent, præſertim propter maximam occaſionem, quam multis dolis, & fraudibus ſæpiſsime præſtitere. Potuit ſane olim utilis eſſe frequens eccleſiaſticorum beneficiorum reſeruatio, cum nondum ita regnante auaritia inuentæ minime fuerāt tot cautelæ, tot prauæ, ac ſymoniacæ cōuenctiōes ad obtinēda in curia Romana eccleſiaſtica beneficia. Siquidem eo tempore, quo ius Canonicum reſeruationes induxit Romani Pontifices ab alijs curis, & ſolicitudinibus liberi potiſsimum curabant, vt beneficia ipſis reſeruata viris doctrina, & optimis moribus præditis concederentur. At hac noſtra ætate cum ſummi Chriſtiani orbis præſules multis, & arduis negotijs impediti non poſsint inquirere, qui ſint viri moribus, & eruditiōe celebres, quiq; poſsint commodius, & induſtrius eccleſijs miniſtrare patet ampliſsima mille fraudibus via: accedunt enim ad curiam Romanam homines indocti, malis moribus præditi, et in ſumma perditiſsimi nullo alio freti ſuorum meritorū præſidio, quā quod optime ſciant verſutijs, alijſq; ſimilibus machinamentis ſacerdotia, dignitates, aliaq; eccleſiaſtica bñficia in maximam reipublicæ perniciē piſcari. Hi equidem videntes tot reſeruari

bñficia collationi, & dispositioni Romani Pontificis, quem possunt intercessiōe hominū quorundā, qui apud ipsum Pontificē in pretio, & æstimatione censentur, plerūq; fallere, ac decipere. Quaobrē saluberrimū esset institutū, quod omnes reseruationes inductæ per regulas Cācellariæ, itē & per extrauagātes cōstitutiones tollerentur omnino & maneret illæsum ius cōmune: imo sola ea reseruatio iustissime posset inuiolata superesse, q̄ traditur in cap. ij. de præbend. in. vj. circa bñficia vacātia in ipsa curia Romana: & præterea, si Romanus Pontifex cēsuerit, plurimū ex his derogationibus sedis Apostolicę autoritatē minui, poterit sua dignissima sanctitas sibi, & eius collationi reseruare aliquot speciales dignitates in qualibet diœcesi quocūq; tēpore & loco vacauerint. Sic deniq; pluribus fraudibus obuiā itur, atq; Epi certo sciēt q̄ beneficia tute possint per eos statim quod vacauerint cōferri. Præsertim cessabit abusus ille, quo vtuntur qui curiā Romanā frequētare prauo animo nō erubescunt. Etenim aduersus possessores pacificos, et quietos decernuntur monitoria pœnalia ex ea causa, qd' calūniatores quidā Romæ cōmorātes statim ad manum paratis ad hæc negotia duobus testibus probāt bñficia prædicta fuisse per Romanū Pontificē reseruata: atq; ratiōe horū monitoriorū, vt vocāt, pœnaliū possessores iustissimi spoliātur bñficijs, q̄ Canonicis titulis obtinebāt. Hi vero, qui hæc monitoria exequūtur cēsuras timētes non aduertunt, minime esse obtēperandū eisdē, cum surreptitia fuerint: tandē hac vexatiōe territi possessores cogūtur, cū iniquis vexatoribus trāsactionē pacisci, pensionē super bñficijs cōstituētes. Quaobrē aut per synodū vniuersalē, aut per ipsum Romanū Pontificē erit statuendum, qd' pretendētes bñficia ab alijs pacifice possessa fuisse, & esse reseruata, vel affecta, petāt sibi super hac re iustitiā exhiberi, litēq; tractēt ordinaria via apud diœcesanū. Sic etenim mille cessabūt vexationes, quæ ordinē ecclesiasticum interturbant.

¶ De reseruatione in pectore subtiscendū non est: siquidē ea plurimū nocet in his negotijs, q̄ ad iustā, rectāq; bñficiorū ecclesiasticorū collationē pertinēt. Nam qui se existimant admodum acceptos esse, & gratissimos Romano Pōtifici postq; sciunt pinguia sacerdotia, & bñficia per mortē vacātia iam autoritate ordinaria, aut Apostolica collata esse alijs, tūc abutentes nimio fauore, quo hæc, & ꝑ̄cioꝛa peragūt negotia, prædicta bñficia impetrāt a Romano Pontifice tanq̄ ante suprascriptā collationē in pectore ab eo reseruata. Romanus autem Pōtifex prauis suggestionibus deceptus his quidē bñficia cōfert in literis asseuerās, ea ante collationē alijs facta reseruata ab eo fuisse. Vnde hæc mentalis reseruatio efficit, quod collatio iure ordinario ab Epo, aut ab alio etiā autoritate Apostolica facta nulla sit omnino, & vt talis rescindatur. Huic profecto abusui maxime occur

rendū est, penitusq́ tollēdæ sunt mētales reseruationes. Quæ nihil aliud cēseri possunt quā perniciosæ cautelæ aduersus æquitatē, & religionis Christianę vtile regimē: cui operā dare debent Pōtifices summi nequaquā permittentes se ipsos hac in re nec importunis precibus, nec fauore, nec gratia ita oscitanter decipi.

De monasterijs, eorumq́ dignitatibus impetrandis.

§. XXIII.

Contingit sæpissime in Romana curia abusus quidam, qđ vacātibus abbatijs, vel prioratibus ordinis Sācti Benedicti, vel Sancti Bernardi, aliorūq́ similiū ordinū cōferuntur hæ dignitates per sedē Apostolicā in Cōmendā, aut administrationē Cardinalibus, & alijs prælatis: imo & clericis sæcularibus quādoq́ imperitis, quādoq́ morib⁹ præditis corruptissimis: id autem fit, vt & alia multa per importunas, ac surreptitias preces ipsi summo Pōtifici porrectas: cū alioqui maximus ecclesiæ pastor, si vere cognosceret quātum detrimēti inde monasterijs incūbat, nequaquā hæc cōcedere dignaretur. Nam ideo monasteria regulis, cōstitutionibus, & diligenti prælatorū eiusdē instituti, & ordinis cura reformata maxime deformātur. Præterea hospitalitas, cultus diuinus, & alia secundū regulam ordinū, et fundatorū dotantiū non tantū diminuuntur, & tolluntur, sed penitus deficiunt, & ruunt: adeo quidem, vt nec Missæ, nec alia diuina officia ordini cōuenientia celebrātur: quodq́ grauissimum est, redditus in monachorū alimēta, pauperū subsidiū per ipm regularē prælatū expendēdi tandē per sæcularem Abbatē, aut priorē in ꝓprios, et profanos vsus expendūtur. Qua ratiōe oportet per cōcilium, aut per summū Pōtificē prouideri, q́ omnes Abbatiæ, & prioratus reducātur ad obseruantiam: atq́ ita eligatur Abbas, vel prior vnus ex monachis, & per monachos eiusdem monasterij in quo ea dignitas prioratus, vel Abbatię vacauerit: & vt fraudes omnino extirpentur admodū vtile est, qđ electio minime fiat nisi illius, qui tēpore electiōis eandē religionē fuerit professus, habitūq́ habuerit monasticū, vitāq́ regulare egerit. Sic etenim melius dignitates istæ regulares instituuntur ad vtiliorē Chrianæ religionis reformationē, quæ difficilior quidē erit, si semel locus sit licentiosæ religiosorū vitæ. Nam ab eorū exēplis potissima pendet morū correctio propter existimationē, quā de his Christianus popul⁹ maximo iure habet. Igitur admissis inter religiosos prælatis sęcularibus patet facilis via ipsis religiosis ad mutationē morū, quibus addicti debent esse iuxta eorū regulas, & religionis præcepta. Adeo siquidē Christianæ reipublicæ cōducunt religiosorū monasteria, eorū regularis obseruātia, vt plane maximū sit dispendiū allatura

eorundem viuendi effrenata licentia.

¶ Præter hæc iure Canonico statutum est, quod dignitati regulari non possit præfici, nec ad eam eligi secularis: cle. j. de elect. capi. cum de beneficio. de præben. in. vj. Quibus etiam probatur, bñficia vnius ordinis, & religiõis non esse cõferenda monachis, aut religiosis alterius ordinis iuxta illud Deuteronomij cap. xxij. nõ arabis in boue simul & asino, idest, homines diuersæ simul professiõis in vno officio nõ associabis, ca. in noua. xvj. q. vij. cap. vt lex. xxvij. q. j. clem. ne i agro. §. j. de statu mona. notãt Bal. in cap. cum causam. de electio. Ioan. Faber. in rub. instit. de nuptijs. Sicut nec ad beneficia secularia sunt admittendi regulares monachi: quod constat ex dict. cap. cũ de beneficio. Nec Pontifex summus per dispensationẽ debet his derogare statutis. Primum quia scandalum oritur ex diuersitate professionis, & habitus. cap. illa. xiij. dist. cap. quod Deo. xxx. q. v. siquidem religiõis status scandalũ patitur ex prælato seculari: imo & ipsi⁹ prælati persona periclitatur dũ a monachis, qui eũ inuiti receperũt, cõtemnitur, odioq́ habetur. Deinde monachis detractionis datur causa, dominiq́ nostri Iesu Chri maiestas læditur, oriturq́ hinc omnis mali labes vt tradit Ludo. Roma. in consil. ccclxxx. quod incipit, quæstio talis.

¶ Tertio eadem dispensatio foret admodum incõmoda ratione mali exẽpli. tenetur etenim Abbas, aut quiuis alius prælatus monachos instruere, & inducere ad obseruatiõnẽ regulæ, ipsiusq́ ꝓpriæ religionis cõstitutionem: & tamẽ non poterit cõmode secularis prælatus hoc officiũ agere, nisi prius ipse eandẽ regulã, eiusq́ constitutiones exacte obseruet: cum exẽplo domini debeat prius facere, quam docere. Ab his autẽ, & omnib⁹ ipsius ordinis præceptis, cũ secularis sit, omnino est alienus: præsertim id manifeste constat, qd plurima persuadere monachis subditis conabitur, quæ ipse nequaquã exequitur: imo his aduersa, & contraria palã operatur. Vnde præceptis suis, & persuasionibus põdus detrahit aliter faciens, quã prædicet. cap. primum. xxv. dist. capi. vna tantũ. xxvj. dist. cap. nos si incõpetẽter. ij. q. vij. Quarto ratio cõfusiõis hanc dispensationem dissuadet: ordo enim ecclesiæ cõfunditur, dũ sua vnicuiq́ ecclesiastico ordini iurisdictio non seruatur. capi. peruenit. xj. q. ij. Quinto hoc ipsum cõprobatur ratione periculi animarũ ipsorum monachorũ, quibus absente prælato seculari, antiquus hostis maxime dominabitur, eos dilanians in peruersos atque corruptissimos inducens mores. capitul. postquam. 50. distinctione. His deniq́, & alijs rationibus apparet minime conuenire Catholicæ, & Christianæ religioni, quod ex dispensatione Romani Pontificis seculares clerici regularibus dignitatibus preficiantur.

✠

¶ De Hospitalibus, ac legatis ad pias causas.

.§. XXIIII.

IN tantũ quorundã Romæ cõmorantiũ ꝓcessit audacia, vt minime vereãtur bñficia ecclesiastica constituere ex legatis ad pias causas, & ex Hospitalibus. Etenim ea impetrant, sicuti solent, bñficia iam olim instituta impetrare. Quo tãdẽ fit, vt bona relicta ad pauperũ alimẽta, & ad alia pia opera in proprios impetrãtiũ vsus expendãtur maximo cũ detrimento pauperũ, & orphanorum. Deinde Catholici viri vidẽtes ita expẽdi, q̃ ab alijs relicta fuere, in vsusq́ pios destinata, animos auertũt ab his operibus pijs cõstituẽdis existimantes futurũ equidẽ, qd̃ & opera pia ab eis alioqui instituenda mutentur in vsus profanos, aut expendãtur in vtilitatẽ eorũ, quibus ipsi nec quadrantẽ ex bonis ꝓprijs erogassent. Huic sane malo est oĩno obuiãdũ p vniuersalis cõcilij statuta, quibus firmissime statuatur, qd̃ hæc legata pia, aut Hospitalia minime in titulum beneficij impetrẽtur, aut cõcedantur: sed omnino bona ita a defunctis relicta in eos vsus expendantur, in quos fuere a veris dominis destinata. Quod si per importunas quorundam hominum preces a Romano Pontifice aliud cõcessum fuerit, prouide decernendum est, quod ordinarij, & Principes ab his concessionibus, & dispensationibus supplicẽt humiliter, præmissaq́ supplicatione ad sedem Apostolicam interposita exequutionem impediant earundem dispensationum.

¶ De beneficijs iuris patronatus ecclesiastici, aut secularis.

.§. XXV.

AB initio renascentis ecclesiæ illud est maxima religionis Christianæ, & diuini cultus feruore obtentũ, vt passim viri ecclesiastici, & sæculares, fœminæq́ pijssimæ bñficia ecclesiastica, ipsasq́ ecclesias multis bonis, ac redditibus dotarint ad diuinorũ officiorũ celebrationem. Idq́ vel donationibus, vel testamẽtis, alijsq́ vltimis testatorũ, & morientiũ voluntatibus effectũ est: atq́ ideo ecclesiæ præter decimarũ, obuẽtionũ, oblationũ, & primitiarũ redditus, pinguissimos, vberrimosq́ quotanis fructus percipiũt, ex quibus viri moribus, & doctrina prę̃stãtes alũtur iuxta ecclesiæ Catholicæ statuta, & defunctorũ dispositiones. Etenim clerici, & laici bona patrimonialia a maioribus suis habita, aut proprio labore quæsita omittentes eorũ cõsanguineos plerũq́ satis pauperes ecclesijs relinquũt autoritate Episcoporũ instituẽtes qualiter ea bona sint distribuẽda: præsertim volũt qd̃ ex eis instituatur capella quędã, aut beneficiũ ecclesiasticũ: ad cuius ministeriũ patronus per eos nominatꝰ clericũ præsentet. Hi sane si scirent has eorũ dis-

positiones facilime tollendas per Romanũ Pontificẽ, iuriq; patronatus derogandũ fore, profecto plurimũ animos auertissent ab his operibus pijs constituendis. Vnde par est, & regimini congruit Chrianæ reipublicæ, qđ iuri patronatus laicorum minime derogetur per Summũ Pontificem. Oportet etenim bñficia ista iuris patronatus laicorũ cõferri secundũ voluntatẽ instituẽtis laici, qui ꝓpria bona ad hãc rem ita distribuẽda destinauit. Nec æquũ cẽsetur, qđ facilime vltimæ testatorum volũtates mutẽtur etiã per sedẽ Apostolicã. Sæpissime quidem audiuimus laicos ditissimos, qui hac de causa grauissime cõquesti sunt, asseuerãtes se pijssima intẽtione, & alacri animo propria bona in pios vsus ad Hospitalia, atq; ad instituenda bñficia collaturos, nisi præuiderẽt futurũ esse, qđ per dispensationẽ eorũ testamẽta, vltimæ volũtates, & ordinatiões tollãtur, bonaq; ꝓpria maximo labore ab eis q̃sita in alios vsus q̃ a se destinatos omnino expẽdãtur.

¶Non diffitemur, nec negamus, posse Romanũ Pontificẽ derogare iuri patronatus laicorũ. Nã iuris est apertissimi posse Romanũ Pontificẽ iuri patronatus laicorũ derogare, si voluerit: siquidẽ necessariũ est, qđ cõstet de eius voluntate iuxta cõmunẽ doctorum omniũ resolutionẽ in cap. cũ dilectus. de iure patronat. Et in cap. dilectus. de offic. delega. & in cap. ij. de præbend. lib. vj. vbi quicquid glos. scripserit nihilomin⁹ cõmuni omniũ sentẽtia definitũ extat, reseruationẽ illius capituli, eiq; similes, aliasq; reseruatiões generales minime cõprehẽdere bñficia iuris patronatus laicorũ: tametsi prædictæ reseruatiões cõprehẽdãt bñficia iuris patronat⁹ ecclesiastici: quæ quidẽ distinctio cõprobatur per Lapũ allegat. xcvj. Card. cõsil. lxix. Feli. in cap. in nostra. corolario. lxxviij. de rescript. eũdẽ in tract. quãdo literæ Apostolicæ noceãt patronis. col. j. & penulti. Rochum de Curt. ĩ tract. de iure patronat. verb. cõpetẽs. q. xxiij. idẽ cõstat ex distinctione glo. in dict. cap. cũ dilectus. de iure patrona. & in dict. cap. dilectus. de off. lega. Quæ habet, legatũ Apostolicũ posse quidẽ derogare iuri patronatus ecclesiastici: nõ tamẽ iuri patronatus sęcularis. Imo etiã si in reseruationibus summorũ Pontificũ expresse reseruẽtur bñficia ad quorumcunq; collationẽ, præsentationẽ, & institutionẽ pertinẽtia: nihilominus tales reseruatiões minime cõprehendũt bñficia iuris patronatus laicorũ secundũ Ioan. Andr. in dict. cap. dilectus. de off. legat. & Feli. in dict. tractat. quãdo literæ Apostolicæ. col. iij. Attamẽ cõueniẽs nõ est, qđ istæ derogatiões per summũ Pontificem passim fiãt: ne vltimis testatorũ volũtatibus derogetur: atq; ideo auertantur laici ab instituẽdis, et dotãdis, ædificãdisq; ecclesijs. Olim siquidẽ rarissime iuri patronatus laicorũ derogabatur: nõ enim apud curiã Romanã ita fuerat ambitio, auaritiaue admissa: at nr̃is tẽporibus si semel admittatur derogatio iuris patronatus laicorum,

rū, ea erit adeo frequēs, quēadmodū hactenus fuit, vt nulla differētia cōstituatur inter bñficia iuris patronat⁹ laicorū, & alia bñficia mere ecclesiastica ex decimarū, et ecclesiarū redditibus instituta: ita sane obtētū est, vt iure ordinario cū derogatiōe amplissima quotidie a Romanis Pōtificib⁹ bñficia iuris patronatus laicorū impetrētur. Q̄d nequaquā agēdū est: imo Sūmis est exorādus precibus Romanus Pōtifex ne his vtatur derogationibus, q̄ maxime laicorum animos, & linguas irritant. Posset quidē hoc permitti, modo raro & cū maxima causa fiat: p̄sertim vbi ius patronatus laicis fuit adquisitū nō ex dotatiōe, cōstructiōe, aut fundatiōe ecclesiarū: sed ex cōsuetudine, præscriptione, vel priuilegio: etenim in his casibus facilius Romanus Pōtifex poterit iuri patronatus laicorū derogare. Nā & reseruatiōes gñales talia bñficia cōprehendūt secundū Card. consi. lxix. ij. col. & Frederi. ī cōsi. lxv. quorū opinio confirmaī ex eo, q̄d legatus de latere licet nōn possit derogare iuri patronatus laicorum cōpetenti ex fundatiōe, dotatiōe, cōstructione: poterit tamen derogare iuri patronatus laicis cōpetēti ex priuilegio, cōsuetudine, aut p̄scriptione; sicuti notant Abb. in dict. ca. dilectus. de off. leg. & alij plures, quos referunt iuniores potissime, Decii. cōsi. cxvij. & Rochus de Curt. in tract. de iure patronat. verb. honorificū. qō. iij. cessat siquidē in hoc casu ratio, q̄ præcipue admonet nō esse has derogatiōes permittēdas: nēpe ne laici retrahātur ab ædificādis, dotādis, & cōstruēdis ecclesijs videtes passim eorū vltimas volūtates mutari p Romanū Pontificē. Nec enī ista ratio habet locū in iure patronatus laicis cōpetēti ex priuilegio, p̄scriptiōe, aut cōsuetudine: sed tantū in iure patronatus, q̄d ex fundatione, dotatione, aut constructione laicis iure competit.

¶ Eadē fere ratiōe aliud est apud Romanā curiā admodū frequēs omnino tēperandū. Nā cōsueuere mutari volūtates vltimæ testatorū; qui ad pias causas legāt quāpiā pecuniæ summā, quā autoritate Romani Pōtificis trāsferre quidā cōnatur ad hærēdē, vel legatariū ob prætensam paupertatē: id sane fit ob lucrū, nec permittēdū est, nisi facta fuerit magna mutatio in re familiari hæredis p habitū testatoris: ita q̄d verisimile sit, testatorē ob eā mutationē mutaturū fuisse voluntatē: non enī piū est, imo admodū impiū vltimas testatorū voluntates mutari, nisi ea mutatio maximis ex causis fiat.

¶ De litibus, quæ maxima cū fraude apud curiam Romanā mouentur aduersus clericos senes, aut valetudinarios beneficia ecclesiastica pacifice obtinentes.

.§. XXVI.

PRæter alia, q̄ in curia Romāna quotidie tractātur, ac cēsura indigent, illud p̄cipue erit extirpandū, q̄d sæpissime fieri videmus, p̄sertim a viris ecclesiasticis, quibus sa-

tius foret diuinæ maiestati ministrare, et obsequi, q̃ his abusibus operã dare. fugere enim a litibus debuissent, maxime ab his, q̃ prorsus illicitæ iure humano, ac diuino censeri debẽt. Quidã sane senes, ac valetudinarios pacifice bñficia posidẽtes fictis quibusdã iuribus ad curiã citant Romanã maximo cũ dispẽdio ipsorum pacifice posidẽtium bñficia: eos siquidẽ maximis afficiunt vexatiõibus, vt vel cogãtur bñficijs cedere, aliquamue pactionẽ inire cũ his ligãtibus, aut tandẽ vt posint q ficta litẽ mouere nõ erubescũt senibus mortuis ĩ ius morietiũ subrogari iuxta regulas cancellariæ sic demũq; fit, vt ad istos curiæ Romanæ satellites pueniãt bñficia, vel saltẽ aliqua eorũ pars iure pẽsiõis annuæ. Quod est admodũ impiũ & dolendũ oĩno: idcirco oportet p sacrosanctam synodũ, aut Romanũ Pontificẽ, qd post triẽnij pacificã possesionẽ bñficij nec posit lis moueri super possesione, nec super proprietate aduersus possessorem pacificum. Imo & illud erit necessario statuendum quod si ob nouã causam, vel ob crimen aliquod quis prætendat beneficij possessorem eo priuandum, aut priuatum esse, eam causam, & litem apud diœcesanum, seu iudicem ordinarium prosequatur, vt fraudes omnino cessent, & tollantur.

De litibus per audientiam contradictoriarum expediẽdis.

§. XXVII.

Solet in Romana curia alĩ⁹ abusus cleri iuste, ac pacifice bñficia posidẽtes, male, & iniquisime vexare. Nã citãtur bñficiorũ possessores p edicta, q affigũtur tali loco, & tẽpore, qd nusquã pueniãt ad notitiã citatorũ. Qui hac ratione statim breui, vt aiunt, manu cõdemnantur inauditi priusquã ad eorũ notitia citatio perueniat, cui negotio peragẽdo nõ desunt notarij cũ duobus, aut tribus testibus asserẽtes, citationẽ publice, ac canonice fuisse factã: cũ vere nulla citatio præcesserit, nec vera ipsius imago.

¶ Huic cautelæ accedit qd sæpisime qui apud Romanã curiã vexare, et molestare canonicos bñficiorũ possessores nõ verẽtur, allegãt, qd citatio fieri nõ põt in psona, sed p edicta falso probantes non esse tutũ accessum ad locũ vbi citãdus habitat, ppter eius potẽtiã atq; ita maximis molestijs afficiũt eos qui nulla digni sunt vexatiõe, qui q; iure deberẽt citari non per edictũ, sed in persona. Quamobrẽ prouidẽdũ erit, qd nulla fiat citatio per edictũ, nisi in casibus iure expresis, vbi tutus accessus nõ est ad locũ, in quo citãdus habitat iuxta notata in cle. j. de iudic. de his autẽ casibus fiat fides corã ordinario iudice, aut coram Metropolitano.

¶ Cõtingit etiã, qd lites fingũtur, vt facilius pensiones cõstituantur autoritate Romani Pontificis, atq; hac cautela bñficia ecclesiastica aduersus iuris Canonici decreta sectionẽ patiũtur. Deinde cõueniunt litigantes de pensione cõstituẽda vltra tertiã partẽ fructuũ beneficiorũ. Oportet quidem, qd pen-

siones etiã causa litis minime cõstituantur vltra tertiã partem fructuũ beneficiorũ. Item diligẽtissime cauendũ est, quod vbi causa litis pẽsio ex cõuẽctione partiũ cõstituẽda sit in tertia parte fructuũ beneficiorũ, tunc iuramentũ fiat solẽniter, qđ non ex collusione, sed causa dubiæ iustitiæ pensioni consensus præstatur: aut sane omnino ea pẽsio erit rejciẽda, si ex qualitate personarũ possit adsumi suspicio fraudis, aut collusionis adsumi. Hoc etenim cõuenit Christianæ reipublicæ, ne tot fraudibus locus sit in re ad cultũ diuinũ, & ministerium ecclesiarum pertinenti.

¶ De regressibus, & accessibus tollendis.

§. XXVIII.

ADEO diligẽti cura, & solicitudine excogitatæ fuere in Romana curia modi ad bñficia ecclesiastica præter ius, & cuiusq; merita obtinenda, vt plane nulla iuris veteris cõstitutio hac in re statuta fuerit, q̃ mille fraudibus non sit subiecta. Nam ad preces importunas Romani Pontifices solent cõcedere passim litigantibus, & his, qui nullam tractant litem, regressus, & accessus ad beneficia ecclesiastica. Ex quibus multa damna cõtingunt. Primũ quidẽ votũ captandæ mortis: deinde qđ bñficia indignis cõferuntur, & sępissime cõsanguineis ita quidẽ, vt ab vno in alterũ iure regressus veluti iure hæreditario beneficia trãsferantur vsq; ad quartam generationem: aut deniq; per centũ annos ab his, qui eiusdem generis sint eadem beneficia ecclesiastica absq; vllo meritorum delectu perueniant. Quamobrem agendũ est, quod per synodum sacrosanctã, aut per summũ Pontificẽ hi regressus, & accessus omnino tollãtur, nec aliter concedantur, quã ad petitionem synodi prouincialis, aut Epalis pro iustissima quadam causa. Hoc enim ita fieri cõuenit omnino Catholicæ ecclesiæ, & animarum regimini.

¶ De causis ad curiã Romanã minime aduocandis.

§. XXIX.

INoleuit in curia Romana alia cõsuetudo maxime perniciosa, & in dispendiũ clericorum Christiani orbis. Nam indistincte in beneficialibus causis, etiã pro bñficio modici valoris, atq; etiã in alijs causis ecclesiasticis pertinẽtibus ad cognitionẽ iudicis ecclesiastici, citantur clerici in prima instantia ad curiam Romanã, statimq; trahuntur cum maximis sumptibus, et expensis ad curiæ Romanæ iudices, apud quos reddit⁹ ecclesiasticos, & bona patrimonialia cõsumẽtes proprias ecclesias, quarũ regimini fuere præpositi omnino derelinquunt. Debet enĩ statui, quod primũ clerici etiam in causis beneficialibus citentur & trahãtur ad Episcopum, vel iudicẽ ordinariũ, coram quo fiat processus vsq; ad diffinitiuam sententiam, a qua appelletur ad Metropolitanum, apud quẽ causa

tractetur, vsquequo definitiua secūda sententia lata fuerit: tunc demum per appellationem deferatur causa ad curiam Romanā ita quidem, quod appellatio ad curiam Romanā minime admittatur omisso medio: atq; ita fiet, vt duæ priores sentētiæ in qualibet causa ferantur apud iudices inferiores, posterior autem in Romana curia a iudicibus Apostolicæ sedis. Sunt etenim ita graues litigātium expensæ præsertim vbi iudicium tractandū est in curia Romana, vt plane admodum vtile sit statutum istud, quod hic fieri optamus. Nam & præter alia lites fiūt immortales, & plerumq; coguntur, qui iustitiam fautricem habent, propria beneficia, aliasq; res ad se pertinentes deserere, cum non posint ad curiā Romanam accedere propter grauisimas expensas. Sic sane pragmatica sanctione Gallicana, quæ apud Gallos maxime obseruatur, admissa est ea Basiliensis synodi constitutio, quæ prohibuit appellationem omisso medio ad curiā Romanā deferri. Est namq; id statutū omnino vtile, ne dicam necessarium.

De iudicibus delegatis, & cōseruatoribus.

§. XXX.

Dantur sæpisime ī curia Romana per Romanū Pontificem cuicunq; prælato, capitulo Cathedralis ecclesiæ, ordini, collegio, studio, aut vniuersitati, & militib⁹ cuiusuis militiæ iudices cōseruatores delegati quidem, Abbates, Priores, aut alij quancunq; dignitatem obtinētes. Qui vt absq; vllo meritorū delectu eliguntur, ita sane frequentisime contingit, eos esse prorsus ignaros, & imperitos. Quibus illud præcipue munus incumbit, vt sentētiam absq; vllo discrimine pronuntient in fauorem illius, qui eos iudices sibi impetrauit: idq; plerumq; ꝓpter pecuniā sibi secrete, & palam in mercedē iniustitiæ traditam. Hi deniq; multis cēsuris & excōmunicationibus litigantes infestant ob quamcunq; etiam leuisimam causam: quin & vrbes, villas, aliasq; oppida, & sæpisime prouincias interdictis ecclesiasticis afficiunt, quod in maximū tendit Christianę religionis detrimentum: quodq; omniū grauisimū est, litium apud eos pendentium controuersias ita temere, & iniq; definiūt, vt plane dici posit, eos nullum in sententijs proferendis iustitiæ cultum, & zelum habuisse. Idem fere contingit in his delegationibus, quæ pasim fiūt a sede Apostolica, quæ causas, & lites ad eam delatas per appellationem cōmittit, ac delegat canonicis, & dignitatibus, præsertim monasteriorū Abbatibus, prioribus, custodibus, ac ministris viris quidem religiosis: sed quib⁹ satius, & vtilius foret cultui, & ministerio religiōis oīno subseruire, quam his negotijs admodum a monastica vita alienis operam dare. Hinc quotidie prodeunt asiduæ querelæ de his iudicibus, atq; vtinam vanæ forent. Quare obrem prouidendū est, quod non constituantur pasim iudices conseruato-

res,sed raro,et maxima ex causa: fiatq; delegatio Epis,aut eorum vicarijs,qui nulla possint suspitione notari: aut sane viris iuris Pontificij doctrina praeditis, qui valeant cõmode iuxta iuris canonici decreta, & constitutiões ius dicere:quiq; annũ vicesimũ quintum excedant. Quod si delegatio fiat canonicis alicuius ecclesiae,eligatur is Canonicus,qui moribus, & eruditione insigniter polleat. Isq;, ac caeteri conseruatores, aut iudices delegati iuramentũ receptis delegationis literis coram notario praestent, quod absq; vllo odio, amore, vel fauore ius litigantibus reddent. His etiam iudicibus est praecipiẽdum,quod a muneribus abstineãt omnino,atq; etiam ab esculentis, & poculentis,quo liberius, & iustius possint sententiam ferre.

¶De his, qui sub praetextu clericalis ordinis se eximunt a iudicibus laicis.

§. XXXI.

MVlti e Romana curia in prouincias redeunt habitu, & vestitu laicorum incedẽtes, qui se clericos esse falso apud Pontificem asseuerarunt, atq; ideo, vt iudiciũ ordinariorum, & Episcoporum iurisdictionem euadere possint. seq; a seculari iurisdictione eximere, impetrant ad diuersos iudices commissiones, ac delegationes super delictis ab eis commissis, & vt id facilius obtineant asserunt, ordinarios, & Episcopos proprios sibi suspectos esse, nec posse apud eos iustitiam consequi. Hi autem iudices acerrime Apostolica vtuntur autoritate,statimq; nullo seruato iuris ordine inhibent iudicibus ordinarijs, ecclesiasticis, & secularibus multis praelatis censuris,ne de horum delictis cognoscant, nec vllo pacto ipsa tractare audeant. Qua ratione iudices ordinarij vicarij quidem Episcoporum, & seculares varijs modis vexãtur,nec vlla se ipsos valent iuridica tueri excusatione. Vnde prouidẽdum est per sacrosanctã synodum, quod hi iudices nullo modo dentur in curia Romana,nisi prius visa autentica relatione ordinariorum, vel iudicum, de quibus impetrantes isti conqueruntur: etiam si vere clerici sint: iniuria etenim fit ipsis iudicibus ordinarijs, si absque vlla iusta causa lites, & controuersiae apud eos alioqui maxima cum reipublicae vtilitate definiendae, iudicibus quibusdam extraordinarijs,quiq; negotia ipsa nõ sincere,sed perfide sunt tractaturi,committantur.

¶De clericis primae tonsurae.

§. XXXII.

SI quid est in Christiana religione preter haereticorum perfidiã, quod censura indigeat ad ipsius reipublicae salubre regimen,illud potissimum est, quod ad exemptionem clericorum primae tonsurae pertinet. Etenim ratione priuilegij clericalis,qđ iura Pontificia primae tonsurae con-

cesserunt, vt tandem ea eximeret saltem in criminibus puniendis a iurisdictione seculari, multa quotidie insurgunt mala, quæ perniciem maximam reipublicæ inferunt. Nam Clerici primæ tonsuræ, alioqui secundum veterum Canonum Decreta ministerio altaris, & ordinis Clericalis destinati, nullo discrimine a laicis distincti negotia secularia palam expediunt, multisque se implicant tractatibus, qui a Clericis alieni sunt omnino. Præsertim arma, & habitum secularem gerētes multa committūt crimina, ad quorum impunitatem, non ob aliam causam prima tonsura decorantur. Apud quamlibet enim Christiani orbis prouinciam illud est frequentissimum, qđ pueri a primo literarum ludo nondū latinam linguā edocti: imo futuri multarum infimarum artium artifices, & operarij, prima donātur tonsura non alia ex causa, quam vt a iurisdictione seculari eximantur. Et præterea hinc sequuntur inter iudices seculares, & ecclesiasticos maximæ contentiones, & iurgia, quoties de his Clericis puniendis agitur. Etenim iudices ecclesiastici absque vllo delectu sibi horum Clericorum punitionem iure vendicant, etiam si nec habitum nec tonsuram detulerint, etiam si mille se immiscuerint enormitatibus: statimq; pronuntiant se iudices eorum esse: ac plerunque non viso titulo primæ tonsuræ, quodque grauissimum est, eosdem Clericos de homicidijs, deque alijs criminibus palam conuictos adeo leuiter puniunt, vt impunitas potius, quā punitio dicenda sit horum criminum examinatio per iudicem ecclesiasticum habita. Deinde quoties est contentio inter iudicem ecclesiasticum, & secularem super his primæ tonsuræ Clericis, cum cognitio huius causæ iuxta Canonicas sanctiones ad iudicem ecclesiasticum pertineat, nusquam iudex ipse ecclesiasticus sententiam pronūciat hac de re, quæ non sit manifesta in propriæ iurisdictionis fauorem, atque ita pronuntiat Clericum hunc primæ tonsuræ vere Clericum esse, & ecclesiasticæ iurisdictioni subditū. Quamobrem illud esset æquissimū concilij vniuersalis Decretum, quod nullus Clericus primæ tonsuræ priuilegium haberet fori ecclesiastici: imo subditus omnino foret seculari iurisdictioni: nisi esset sacris ordinibus saltem subdiaconatu donatus: aut sane tunc Clericus primæ tonsuræ a iurisdictione seculari esset exemptus, cum actu ecclesiæ alicui ministraret, vel ecclesiasticū bñficiū obtineret. Quod si adhuc placuerit veteres canones hac in re minime mutandos, aut corrigendos esse, illud est prouidendum, ne iudex ipse ecclesiasticus, qui prætēdit clericum primæ tonsuræ sibi subditum esse, & ab eo puniendum, sit ipsius causæ super Clericatu iudex. Sic sane expediet reipublicæ, quod in qualibet Diœcesi constituatur a Romano Pontifice iudex aliquis, vir quidem discretus, & prudens, qui de his causis sit cogniturus.

✠

¶ De aliquibus facultatibus, et priuilegijs, quæ in curia Romana conceduntur.

§. XXXIII.

QVI veterũ Canonũ statuta diligenter legerit, memoriaq; repetierit primitiuę ecclesię catholicę statũ, quo plures ex Romanis Põtificibus ob zelũ Christianæ religionis martyrio coronati fuerunt, ac propter eorũ mores, vitã, & sanctitatẽ post obitum in sanctorum catalogum relati sunt, plane cõperiet ex priuilegijs, dispẽsationibus, & facultatibus, quæ hodie passim cõceduntur a Romanis Pontificibus, fere nullam concessam fuisse. Etenim hisce temporibus tot dispensationes, priuilegia, & iuris communis derogationes passim conceduntur, vt nulla fere iuris Pontificij sit cõstitutio, q̃ per fraudes, aut importunas p̃ces impetrantiũ per dispensationẽ aut priuilegium statim non tollatur. Hæc autem quantũ sint detrimentũ Christianæ reipublicę allatura plane videbũt qui tot exceptiones, tot ordinariæ iurisdictionis derogatiões, tot rescripta admodum perniciosa apud Romanã curiã expedita quotidie viderũt, iãq; multis cum lachrimis malũ istud zelo, & amore prouidæ administrationis multoties fuere execrati. Nec Romanus ipse Pontifex omnino huiusce dissolutionis culpam habet. Etenim falsis suggestionibus, dolis, & cautelis impetrantium decipitur. Qua ratione plurima Romæ impetrãtur, quæ præter voluntatem Pontificis conceduntur. Sed quia multa sunt, quæ ab eadem Romana curia procedunt, autoritate Papæ comprobata, oportet quædam hic notare, a quibus concedendis precibus, & admonitionibus esset p̃ vtilitate reipublicæ Christianæ summus Pontifex auertendus.

¶ Non nulli siquidem clerici, & Canonici, aliasq; dignitates habentes, cupientes libere, si hæc est appellanda libertas, viuere: ne prælati eos corrigere, visitare, aut ob crimina punire valeant, Romæ emunt acolytatum, aut officium protonotarij cum priuilegio, vt sint exempti ab omni iurisdictione, a quolibet inferiori iudice: vnde datur his maxima peccãdi licentia. Nã si Epĩ eos punire conẽtur, statim citãtur ad curiã Romanã: maxime citãtur Eporũ vicarij, & officiales, qui si statim Romæ defensorẽ idoneum nõ habuerint, cõdẽnãtur grauissimis quãdoq; pœnis. Quamobrẽ ad hoc malũ euitãdum synodus sacrosancta statuere debet, quod acolyti Romani Pontificis, & protonotarij, aliiq; similia officia obtinentes, non gaudeãt extra curiam Romanam exemptione: imo subsint iudicibus ecclesiasticis ordinarijs; nempe Episcopis, Archiepiscopis, & eorũ vicarijs. Sic etenim fiet vt hæc Romanæ curiæ officia, proprios, ac veros administratores habeãt: nõ enim exibũt hi officiales Romanã curiã: imo Romano Pontifici seruire diligẽtissime curabũt, vidẽtes

se ipsos nullo exemptionis priuilegio potituros, si semel Romanã exierint vrbem. Et præterea nõ ita locus erit mille sceleribus, quæ causa harũ exẽptionum committuntur quotidie.

¶ Multi deinde homines indoctissimi, quiq; nec latine legere sciunt cupientes in sacerdotij dignitatem promoueri vel ad quærendum victum, aut alijs sane de causis, sæpissime ab Episcopis ordinarijs repulsam passi ob eorum mores, aut eruditionis, doctrinæque penuriã: Romam accedunt, aut mittunt mandatum ad impetrandum priuilegium, quo possint a quocunq; Episcopo sacris ordinibus donari, eamq; facultatem facillime obtinent ab his, qui sacræ pœnitẽtiariæ Romę præsunt. Qua ratione absq; vllo examine indoctissimi homines ordinantur ab Epis quibusdã titularibus, quorum officium in republica Christiana nullum aliud est, quã hæc & similia in perniciẽ Christianæ religionis cõmittere: vnde iniuria nõ minima fit dignitati, & statui clericorũ. Quamobrẽ statuendũ est, quod hæ facultates minime concedantur, & taliter ordinati non permittantur ecclesiastica officia ministrare, imo prohibeatur ab Episcopis, nisi prius nouũ præmittatur examen, ex quo apparere possit, quid in munere sacerdotali præstare valeat ita furtiue ordinatus. Hi vero, qui morib⁹, & doctrina fuerint notissimi minime, phibẽdi sunt apud Romanam curiam, aut alibi extra vrbem sacros ordines recipere, & in eis ministrare vel autoritate apostolica, vel ordinaria.

¶ Deinde sunt quæstores quidã, qui a Romano Pontifice impetrant licentiam, & facultatẽ pdicandi, & petẽdi eleemosynas pro captiuis redimẽdis, pro fabricis aliquot ecclesiarũ, pro aliisq; publicis, & pijs operibus: qui denicq; multa hac occasione cõmittũt flagitia, falsitates, & alia sceleratissima crimina extorquẽdo præsertim pecunias, quæ consumuntur in quæstorum alimẽnta, eorundemq; profanos vsus potius q̃ in ipsa opera pia, in q̃ forent ex intentione Romani Pontificis expendẽda. Nam & hoc modo. Quæstuarij sancti Spiritus, sancti Antonij, alijq; huius gñris rusticos decipiunt, & simplices eosq; innumeris superstitionibus implicãt. Vnde vel hi quæstuarij tollendi forẽt: aut sane statuendũ, quod ordinarij locorum examinent eorũ vitam, mores, & modum prædicãdi. Quod si ex hac examinatione reperti fuerint indigni hoc prædicandi munere, statim non obstante sua exemptione in carcerem detrudantur iustis pœnis puniendi. At si quæstores hi legitime munus istud exerceãt nequaquã excedẽtes, q̃ in Apostolicis literis cõtinentur, maxime sunt laudandi, & ab Episcopis, eorũq; vicarijs admittendi. Sed quia iuxta frequentissimum horum quæstorum vsum id impossibile videtur, satius erit quod omnino tollantur, & a religione Christiana exterminẽtur.

¶ Cõceduntur itẽ Romę q̃dã priuilegia, q̃ cõfessionalia dicũtur, qb⁹ facultas tribuũt, vt possit ĩ priuatis locis, et

domibus Missa celebrari cum altari portatili:ex quo quidem vsu vilescũt ecclesiasticæ res, & sacramentum omnium præcipuum. Nam & conceditur facultas, vt possit quis domi, & in priuatis locis audire Missarum solẽnia, & sacramẽtum eucharistiæ cum familiaribus recipere tempore interdicti, & etiam extra id tempus:qđ maximum præbet viris Catholicis scandalum. Atq; ideo ista confessionalia non debent facile concedi:sed magna ex causa:& non omnibus sed principibus,regibus, & eorũ vxorib⁹, ac filijs:eadéq; ratiõe cõfessionalia hactenus concessa deberẽt oino reuocari. ¶Nec essent dandæ ita frequẽter indulgentiæ, sed semel in anno, aut bis in ciuitatib⁹,ac locis insignib⁹. Siquidẽ olim sancti patres raro has indulgentias concesserunt, & ob maximas causas. Solet etiam Apostolica sedes, aut etiam sacra poenitẽtiaria facilime quidem facultatem concedere quibuscunq; ad esum carnium his temporibus,quibus vetitæ sunt veterum Canonum, & cõciliorum institutis maximis ꝑfecto ratiõibus. Quod quã raro fieri debeat admonet cõciliũ Toletanũ octauũ ca.ix. his quidẽ ꝟbis: Quisqs sine ineuitabili necessitate,atq; fragilitate, & euidẽti lãgore, seu etiã impossibilitate ætatis dieb⁹ quadragesimæ esum carniũ præsumpserit attentare,non solũ reus erit resurrectionis Dominicæ, verũ etiã alienus ab eiusdẽ diei sancta cõmunione: & hoc illi cumuletur ad poenã,vt ipsius anni tempore ab omni esu carniũ abstineat gulam: quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi vero,quos aut ætas incuruat, aut lãgor extenuat,aut necessitas arctat,non ante prohibita violare præsumant,quã a sacerdote permissum percipiant.

Hactenus concilium illud celebratissimum:ex quo duo potissimũ adnotanda sunt. Primum quidem, magna cum veneratione apud veteres,eorũdemq; synodos generales,ac prouinciales esum carnium prohibitũ fuisse ad reprimendam sensualitatis tẽtationem, & ad poenitentiam peccatorum agendam. Etenim siquis ieiuniorum, huiusq; prohibitionis vetustatem, & originem consideret,plane comperiet non conuenire Christianæ reipublicæ, quod ita frequenter, ac sine causa facultates istæ concedantur:maxime his tẽporibus quibus Lutherani hãc antiquam, & sacrosanctam ecclesiæ prohibitionem veluti superfluam,& vanam irrident. Asserit etenim Lutherus, quoslibet cibos, quolibet etiã die,omnibus sine vllo discrimine esse licitos, quantũlibet per ecclesiasticas sanctiões fuerint prohibiti. Quæ denicq; hæresis olim probata fuit a Iouiniano monacho, vt testatur Diuus Augusti. libr. de hæresib. ad qđ vult Deum cap.lxxxij. Est et hac de re error Vualdensiũ, qui tempore Quadragesimæ carnem,oua,aliaq; prohibita comedebant, dicẽtes nullum esse peccatũ hoc facere:imo dicebãt,ecclesiã nõ posse talẽ ciborũ abstinẽtiã ꝑcipere:& in tali abstinẽtia a carnibus dicebãt nullũ inesse meritũ aduersus

quos scribit Augustin⁹ inter dogmata ecclesiastica in hũc modum: Sacratæ virginitati nuptias coæquare, aut pro amore castigãdi corporis abstinẽtibus a vino, vel carnibus nihil credere meriti adcrescere, non hoc Christiani, sed Iouiniani est. Ad hæc accedit quod Eusebius ex philone retulit lib. ij. ecclesiast. Histo. cap. xvij. his sane verbis de Christianis ipsis ętate Apostolorum, & ipsi⁹ ecclesiæ renascẽtis primordijs loquutus: Atq; ĩ ipsis diebus in terra recũbentes, sicut antiqui moris fuisse dicitur, vinum quidẽ nemo omnino ne gustu quiden contingãt: sed nec quãlibet carnẽ: tantũ autem aqua sit eis poculũ, & panis cũ sale, vel hy ssopo cibus. Hęc Eusebius. Vnde apparet esum carniũ, delectum q; ciborũ olim ab initio renascẽtis ecclesiæ consideratum fuisse, vt esus carnium prohiberetur, habereturq; ciborum delectus. Nã & ecclesia a Chro Iesu ita instituta fuit, vt posset leges statuere, quibus aliqua ciborũ genera certis aliquibus tẽporibus interdiceret. Sic etẽm cibo nimis nutriẽte sublato corpori, cogatur corpus ipsum animæ nutui deseruire. Quod certissima ex causa fit, cũ sint cibi quidã, qui non tantũ corpus nutriũt ad vitã, sed inflãmant ad libidinẽ, a quibus abstinere non parum vtile existimatur ad verã pietatẽ augendã. Hæc vero omnia eo tendũt, vt cognoscãmus raro, & vrgentissimis ex causis cõcedẽdas esse facultates istas, & licentias comedendi carnẽ, aliosq; cibos prohibitos tẽpore quadragesime. Plurimũ etẽm interest Catholicæ ecclesiæ, q̃d hoc sacro sanctũ ieiuniũ religiosissime obseruetur. Quãdoquidẽ videmus ex Apostolicis priuilegijs, & ex causis quibusdã non satis sufficientibus, sæpissime confictis ægritudinibus ieiuniorum solẽnia frequẽtissime violari quo ad ciborum lege Põtificia prohibitorum abstinentiam.

¶ Deinde cum ab initio renascẽtis ecclesiæ, ab eiusq; primordijs prohibitũ sit, sacris ordinibus initiatos matrimonium contrahere: vt cõstat ex canonibus Apostolorũ cap. xxv. cap. siqs. & cap. erubescãt. xxxij. dist. cap. j. & ij. qui cleri. vel uouẽt. clem. vnica. de consang. & affinit. Nam solis Græcis, & orientalis ecclesiæ sacerdotibus licuit vti matrimonio cõtracto ante sacros susceptos ordines: nõ autẽ eis vnquã licuit post sacrũ ordinẽ suscẽptum contrahere. capit. cum olim. de cleric. coniug. capit. de Syracusanæ. xxviij. dist. docet elegãter, & erudite Albertus Pighius controuersia. xv. nec obstat tex. ĩ cap. aliter. xxxj. dist. dum dicit, quod oriẽtales clerici in sacris matrimonio copulãtur: quia exponẽdus est is tex. idest, vtũtur copulato secundũ glo. ibi & in cap. quæsitum. de pœnit. & remissiõi. At in occidẽtali ecclesia qui post matrimoniũ cõtractum ordinẽ sacrum susceperit, vti cõiugio non põt: vt probatur in dict. cap. quæsitũ, imo irregularis est iuxta cõstitutionẽ extrauagãtis. Antiquæ. de voto. Nec exigere põt cõiugale debitum ab vxore: reddere tamẽ tenetur vxori debitũ coniugale, quę

admodum oẽs notant in cap. ij. de cle ric. cõiugat. optim⁹ tex. ad id in capi. quidã. de cõuersio. cõiugat. Abusus equidẽ quidã inductus est apud Romanã curiam, idq́; satis profecto perniciosus: siquidem solet dispẽsari per Romanũ Põtificẽ ex falsis suggestionibus cũ cõstitutis in sacris, vt matrimonium cõtrahant. Quæ quidẽ dispensatiões plerũq; cõceduntur falsis ex causis. Et sane tales dispensationes nulli forent cõcedendæ, nisi pro cõseruatione populi cuiuspiam, regni, aut puinciæ, vbi esset publica causa grauissima: potissimum his temporibus quibus Lutherani sacerdotum cœlibatum ab ecclesiã extirpare conãtur.

¶Sunt & in Romana curia adeo frequentes dispensationes ad matrimonia cõtrahenda inter cõsanguineos in gradibus lege Pontificia vetitis, vt iura Canonici prohibitiões hac in parte nullis sint impedimẽto, nisi his, qui pauperes sunt, nec patrimoniũ habẽt vnde possint aliquã summã pro optinenda dispensatiõe erogare: alij equidem statim eam dispensationem obtinent in quarto, tertio, & quandoq; secundo gradibus pecunia ob id numerata, nec cõsanguinei, qui possint Romam pecuniã mittere nihil morãtur, nec verentur matrimonia prohibita cõtrahere eadem facilitate, qua, si nulla esset iuris prohibitio, cõtraxissent, facilimum esse censentes, dispensationem ob pecuniam sibi Romę cõcedi. Quãobrem oportet, & Christianæ reipublicæ admodum est vtile, quod in secundo gradu nullo modo concedatur dispensatio, nisi ob maximam, grauissimãq; causam, & inter Reges, ac Principes: in alijs vero gradibus dispensetur quidẽ raro, & ob causam honestam, q satis manifesta sit: ne scandalum inter Christi fideles ex eo contingat, quod videant passim has cõcedi dispensationes nulla ex alia causa, quam pecuniæ numeratiõe. Quam prorsus ab his cõcessionibus relegandã esse censemus: nisi eo casu, quo aduersus prohibitionem Canonum cõsanguinei iam cõiuncti fuerunt cum dispensationem postulãt. Etenim tũc licebit pro absolutione a peccato, & crimine mortali per eos cõmisso mulctam imponere pecuniariam post absolutionem in pœnitẽtiam criminis: modo ea deputetur in vsus pios.

¶De matrimonijs Clandestinis.

§. XXXIIII.

Veteribus Canonibus Clandestina cõiugia omnino fuere prohibita propter multa damna, quæ ex eis quotidie oriũtur. Videmus etenim hinc plures lites tractari, inimicitias, ac iurgia deduci, quę quieti reipublicæ cõtraria sunt: vnde cap. j. xxx. q. v. inquit tex. hæc Clandestina matrimonia potius esse appellanda adulteria, quam cõiugia. Qua ratiõe licet matrimonium Clandestine cõtractum iure Canonico valeat, et teneat. cap. nec illud. xxx. q. v. cap. j. vbi Abb. et alij de Clandes. despõ.

tradit Sanctus Thomas in.iiij.sentẽ. dist.xxviij.art.iij. Præpo. in rub.de clandest.despõ. mortale tamen peccatum regulariter cõmittunt, qui matrimonia clandestina cõtrahunt. gl. in cap.nostrates.xxx.q.v.saltẽ peccatum hoc grauissimum est ex mente gl.licet ea nõ dixerit expressim esse mortale, nisi aliqua ex causa cõtract⁹ hic clandestinus iustificetur. Quãobrem oporteret ab ecclesia irritũ, & nullum decerni cõsensum cõiugalẽ, qui præstitus fuerit clandestine. Nã quẽadmodũ cõsensus cõiugalis præstitus inter consanguineos tertio, vel quarto gradu iure naturali dubio.p.cul.si ecclesia aliud nõ statuisset, sufficiens, & validus esset ad matrimonij cõtractũ, & sacramẽtum: qđ omniũ hãc quæstionem tractantium consensu receptum est: attamẽ quia canones ecclesiastici eum consensum irritum ad matrimonium esse censuerunt, cõtractus cõiugalis inter cõsanguineos non valet, nec tenet.cap.nõ debet. de cõsangui.& affinit. Sic equidem quãuis cõtractus clandestinus ex natura ipsa in cõiugali materia validus sit alioqui iure veteri: poterit tamen ecclesia hunc cõsensum ad matrimoniũ ita irritum facere, sicut potuit irritum facere cõsensum cõiugalem inter consanguineos quarti gradus præstitum, qui alio.qui semota ecclesiæ prohibitione sufficeret iure naturæ ad matrimoniũ. Illud tamen erit mature considerandũ oportere quidem ab ecclesia explicari satis in specie, quod dici debeat quo ad istum effectũ matrimonium clandestinũ, ne alioqui sit pluribus cõtrouersijs, et litibus locus. Et sane nõ expedit, qđ ad effugiendũ vitium hoc clandestini contractus exigantur omnia, quæ in cap.cũ inhibitio. de clandestina despõ. traduntur: ac satis erit, matrimoniũ cõtrahi corã presbytero parochiali, aut eius vicario, qui solitus sit alia sacramenta ministrare, & coram tribus testibus: tametsi quo ad alios iuris effectus optimũ sit, manere vetera iura incorrecta.

¶Similiter circa matrimonia cõtracta per filias familias absq; parentum licentia, & cõsensu necesse est aliquid statui per sacrosanctã synodum, quo obuiam omnino eatur tot matrimonijs, quæ absq; parentum consensu per filias sæpissime deceptas contrahuntur: vnde tot inimicitiæ frequentissime sequuntur, tot præterea homicidia, & quãdoq; ciuilia inter præclarissimas familias bella. Non enim ambigitur, summam exigi libertatem ad matrimoniũ contrahendũ, consensus etenim illius, qui matrimoniũ contracturus est: ita vt nec patris cõsensus, requirendus præcise sit: honestum tamen est, patrẽ pro filio impubere salutem coniugalem contractum facere, cap.j.de despõ.impub. licet is cõtractus sine consensu filij tacito, vel expresso inualidus omnino sit cap. j.§. vlt.de despons.impub.in. vj. notant Abb.& Præpo.in dict.cap.j. de despon.impub. Ea vero honestas potissimum pertinet ad filias, quæ sub parẽtum tutela, & regimine existũt: nãm inhonestissimum est, eas matrimoniũ

contrahere absq; licētia patris. l.ea q̄ patris.ff.de spōsalib. Siquidem & leges ciuiles hāc honestatē sequutæ parentum consensum exigunt in ipsis filiorum masculorū nuptijs,qui patriæ subditi sint potestati.l.ij.ff.de ritu nuptia .l.in sponsalibus.in.j.ff.de sponsalib.§.j.inst.de nupt. idem in filiab⁹ viduis,& extra patriā potestatē constitutis requirit ius ciuile, modo sint intra vicesimum quintum ætatis annum.l.viduæ.&.l.in coniunctione. C.de nupt. text. diui Ambrosij ad hoc singularis in capit. honorantur. xxxij.qō.ij. Hāc equidem honestatem cōsiderantes veterū legum latores frequentissime statuerūt,matrimonia non posse honeste contrahi per filios,& filias existentes sub patria potestate absq; parentū consensu. Quā obrem maxime vtile Christianæ reipublicæ foret,quod saltem matrimonia clandestine contracta per filias familias absq; parentum consensu, & licentia,ex defectu legitimi consensus irrita decernerentur:atq; quo ad istū effectum matrimonium illud diceretur clandestinum,quod fuisset cōtractum absq; solēnitate tradita in cap, cum inhibitio.de clandest. desponsa. Et præterea oporteret iure Pontificio grauissimas pœnas ī hoc casu statui aduersus ipsos contrahentes hæc matrimonia, & aduersus testes ipsos, qui hisce cōtractib⁹ p̄sentes fuissent. Primum equidē iure Canonico esset permittendū parentibus, quod exhæredare possent filias familias,quæ clā absq; parentū consensu matrimoniū ante vicesimum ætatis annum cōtraxissent. Deinde contrahentes coniugum cum filiabus familias clam, & absq; consensu parentum essent omnibus priuandi bonis, quæ fisco seculari Regio deferātur: huiusq; pœnæ exequutio cōmitteretur iudicibus secularibus:testes præterea clerici priuentur bñficijs ecclesiasticis: laici vero mulctentur amissiōe dimidiæ partis bonorū,exilioq; perpetuo à prouincia:nisi parentes ratum habuerint hūc matrimonij contractū:quo quidem casu & pœnæ sint remittendæ, & matrimoniū ip̄m validū cēseatur.

¶De aliquot remedijs generalibus ad Christianæ reipublicæ reformationem.

§.XXXV.

POst multa quidem, q̄ iam admonuimus pertinere ad Christianæ reipublicæ institutionē, superest generaliter animaduertere pauca, ex quibus plurimū pendet morū, & aliarū rerum integra,perfectaq; reformatio. Primū etenim gñaliter peccatur in hoc,quod iuri cōmuni sanctorū patrū cōcilijs magna deliberatione ad vniuersalis ecclesiæ regimen cōditis in totū pene derogatū est per regulas cācellariæ, dispensationes,priuilegia,exceptiones,reseruationes, & alias innumeras cōcessiones a sede Apostolica quotidie emanantes. Quarum & si aliquot sint quādoq;

iustæ, possintque tollerari ob peculiares dispensandi rationes, plures tamē absque vlla iusta causa concessæ nocēt protecto, scandalumque in Chriano populo generant. Qua ratiōe plurimū querelas plebis extingueret in hisce rebus hoc moderamen, quod ius cōmune illæsum, & inuiolabile maneret: tātaeque reipublicæ regimini esset admodū cōducibile remediū, quod regulæ cancellariæ conciliorū, iurisque cōmunis derogatoriæ non aliter fierēt, quā prius in cōsistorio Cardinalium discusso negotio, atque ex maiori ipsorū Cardinaliū parte suffragijs in id consentientibus. Verū quia parū prodest noua iura statuere, nisi & vetera iam olim a sanctis patribus in vtilitatem maximam ecclesiæ statuta religiosissime obseruentur: nam si quis consideret quæ hodie in ecclesia reformatione indigere videtur, & quæ veteribus canonibus statuta fuerunt, plane cōperiet totā hanc reformationē, quā populus Christianus postulat, in antiquis canonibus cōtineri: idcirco potissime est curandū, quod veteribus Canonū decretis minime derogetur per has, quæ passim conceduntur, dispensationes. Quibus vt obuiam iri possit, foret omnino prouidēdū, quod in qualibet prouincia constitueretur a Romano Pontifice nuntius, aut legatus, qui ex cōsilio, & iudicio duorum prælatorū dispēsationes omnes a Romana curia procedētes examinārent: nō vt Romani Pōtificis factū emendarēt, aut corrigerēt, sed vt viderēt an hæ dispē sationes impetratæ fuerint, et obtētę ex vera, falsaue narratiōe. præsertim hæc examinatio proderit ad hoc vt manifestum fiat, sit ne aliqua iusta causa ex qua possit iuriū derogatio in eo casu tollerari. Quod si iuxta examinationē istā hi prælati deprehenderint veris ex causis dispēsatiões obtentas fuisse, permittēt earū vsum liberū secundū summi Pōtificis volūtatem: sed si viderint falsam fuisse causam, iterum exposita veritate negotiū remittent ad ipsum Pontificē summū, eidē cōsulētes, quid fieri oporteat ad ppli Christiani quietem: ne is scandalū patiatur vidēs absque vlla iusta causa dispensationes has facilime concedi.

¶ Item & tertio animaduertere debēt qui sacrosanctæ synodo gñrali præsident, quique curam habēt reformādi mores, et instituta Christianæ religionis, quantū detrimenti eidem accesserit ex multitudine Canonū, ex varijs iuris Pōtificij interpretū opinionibus, perniciosisque doctorū subtilitatibus: omnia etenim adeo cōfusa sunt, vt scire nullū sit iuris Pōtificij dubiū adeo expeditū, quod nō statim aliquo glossemmate, distortaue interpretatione plerumque cōfundatur. idcirco esset a summo Pōtifice, aut a synodo vniuersali probis viris munus hoc delegandum, & cōmittendū, vt ex multis iuris Pōtificij cōstitutionibus, nēpe ex libris Decretaliū, Sexti, Clemētinarū & Extrauagātiū vnū volumē ederetur in publicū resecatis veteribus Canonibus, cōstitutionibusque, quæ vel sunt correctæ per alias, vel alibi repetitæ, sublatis etiā longissimis illis causarū

& litiũ ꝓcessibus, & narrationib⁹, q̃ in plerisq; decretaliũ locis cõtinẽtur: ita quidẽ, vt tãdẽ iuris decisiões, canones, & decreta in idẽ corp⁹ redigerent sub breui cuiusq; capitis cõpẽdio: quẽadmodũ veteres canones a sanctis patribus editi fuere. Postremo, vt Roman⁹ Põtifex ꝑcipiat, quãr Epi, Archiepi, & alij Chriani orbis ꝑlati munus ꝓpriũ exerceãt circa dioecesum, ac prouinciarũ administrationẽ, multũ quidẽ cõueniet ab ipso sũmo Põtifice quolibet trienio viros ꝓbos, morib⁹, et doctrina celebres ĩ ꝓuincias destinari, q veluti synodici testes oĩa maxima cũ diligẽtia explorẽt, & ea sũmo referant Põtifici: vt is ea, q̃ reformationẽ requirãt, plane reformare curet: ꝑsertim hi exploratores indagabũt Epõrũ residẽtiũ mores, honestatẽ, & ecclesiasticorũ redditũũ expẽsas, ac distributionẽ: quiq; ꝑlatos ipsos hortetur ad cõcilia ꝓuincialia, & Epalia celebrãda. Cauere tñ debet Romanus Pontifex, q̃d hi viri, quos adhoc negotiũ elegerit, man⁹ ab omni excutiãt munere: alioqui oĩa quidẽ plurbibũt, falsa ꝓ veris ad sedẽ Apostolicã deferẽtes. Hinc etem̃ fiet, vt Archiepi, & Episcopi scientes, Romanũ Pontificẽ quolibet triẽnio hoc missurũ exploratores ad inquirẽdum mores, animarũ curã, & diligentẽ, qua vtũtur, administrationẽ, potissime curabũt oĩa, q̃ ad mores, vitã, sumptus, et regimẽ Episcopatuũ ꝑtinẽt, ad rectã iuris diuini, & humani normã, regulãq; instituere, praemiũ, vel poenã ex vigili custodia, & cura ouiũ, aut ex desidia expectantes, vel timentes.

De aliquibus negotijs, quae apud Hispanos specialem exigunt reformationem.

§. XXXVI.

Apud Hispanos iam diu obtẽtum est, q̃d in Epatibus Burgensi, Legionẽsi, & Ouetensi appellatiões ad Romanũ tantũ Pontificem deferantur: cũ hi Epatus nulli Arhiepo, nec primati subditi sint: qua ratione q per iudices ordinarios Eporum vicarios grauantur, pro emendatione grauaminũ Romã vel accedere, vel mittere oĩno teneatur in arduis, & minimis causis: atq; ideo qui ꝑsertim paupertate opprimũtur, necesse habẽt causarũ, et appellationũ ꝓsequutionẽ omittere: vnde iniq; sentẽtijs, & iniustissimis plerũq; oĩno stãdũ est. Oporteret q̃dẽ, q̃d cõstitueretur in qualibet harũ dioecesum ab ipso Epo iudex appellationũ, ad quẽ ab ordinario sit appellãdũ: sicuti Toleti, & Hispali cõstituitur. Sic etem̃ vicarij Eporũ, qui iurisdictionẽ ordinariã habent, & in prima instantia de causis cognituri sunt, maturius, ac diligentius procedent in examinatione, & definitione causarũ scientes statim eorũ sententiã per iudicẽ appellationũ examinandã fore. Atq; item si q̃d ab ordinarijs iniq; actũ fuerit per iudicẽ appellationũ poterit emẽdari. Est tamẽ ab Epis huic muneri, & negotio non quilibet ꝑficiendus: sed ab eis eligendus erit vir aliquis maxima integritate morum, & doctrina

celebris: alioqui parũ prodeſſet huius magiſtratus cõſtitutio, ſi abſq; vllo delectu eſſet ei præficiẽdus vir aliquis, q corrumpi muneribus facilime poſſet.

¶ Eſt & in Hiſpania laudabilis quædam conſuetudo præſertim in diœceſibus Burgenſi, Palentina, & Calagurritana, quod ad omnia beneficia ibidẽ vacantia eliguntur clerici, quos vocãt, patrimoniales ex eiſdem quidẽ regionibus, non exteri, ſed inibi orti, ea quidem forma, vt doctiores cæteris præferantur præmiſſo prius diligentiſſimo doctrinæ, & morũ examine: qua de cauſa in his Epiſcopatibus clerici reperiuntur diuina miniſteria exhibẽtes eruditiores ac doctiores cæteris: atq; item non miniſtratur eccleſijs per vicarios, ſed ipſimet, quibus beneficia fuere collata eccleſijs ſeruiunt, & miniſtrant. Quæ tandem ſola vtilitas maximi debet cenſeri momẽti: cum apud alias diœceſes, & vrbes videam, omnibus eccleſijs maxime curam animarũ habẽtibus per vicarios indoctiſſimos, & prauis moribus præditos miniſteriũ exhiberi: interim ipſis veris paſtoribus redditus earũdem eccleſiarũ alibi fortaſsis inhoneſtis ſumptibus expendentibus, quod maxime dolẽdum eſt: et ea ratione curandum, quod per ſacroſanctam ſynodum, aut per Romanũ Pontificẽ huic malo remedium adhibeatur p decreta, & canones, q nouis excogitatis pœnis ſacerdotes ad reſidendũ in bñficijs oĩno cõpellãt: ſed tamẽ in his adhuc Epiſcopatibus nuper frans, & iniuria contingit ſatis lachrymãda: nã clerici indocti, q nõ audẽt cũ doctis examinis ſubire certamẽ, & recti iudicij diſcrimẽ, Romam pficiſcũtur, bñficia hæc per preces, & fraudes impetraturi: tandẽ ea impetrãtes cũ derogatiõe omniũ priuilegiorũ, & cõſuetudinũ doctis indoctiſsimi pferũtur: qd in maximã tendit perniciẽ Chriãnæ reipublicæ. Idcirco cõuenit, qd ſũmus Põtifex horũ Epatuũ cõſuetudines, priuilegia, & cõſtitutiões validiſsimis confirmet Decretis: atq; ſubinde quo fraudibus, & cautelis nullus ſit locus, det Regiæ maieſtati, eiuſq; iudicibus, qui ad Regia eliguntur ptoria facultatẽ ab his impetratis derogationibus ſupplicãdi, & exequendi pdictis laudabiles cõſuetudines, priuilegia, & decreta, quæ in his Epatibus, quorũ modo mẽtionẽ fecimus, hãc induxere iuſtiſsimam, æquiſsimamq; eccleſiaſticorum beneficiorũ collationẽ. Quã & in cæteris Hiſpaniæ diœceſibus ſeruari maximopere optamꝰ ob eius manifeſtam vtilitatem.

¶ Sunt & in Hiſpania aliquot diœceſes, in quorum eccleſijs parochialibus nulli inſtituuntur rectores perpetui, quibus cura animarũ cõmendetur: ſed omnis, ac totius Epiſcopatus animarũ cura reſidet penes prælatũ, qui quolibet anno, aut biẽnio, deniq; ad eius nutũ eccleſiæ cuiuſlibet regimẽ alicui cõmittit: iſq; vel ob pauperrimũ ſtipendiũ, vel ob aliã cauſam plerunq; minime idoneꝰ eſt ad animarũ curã obtinẽdã: aut deniq; per mercenariũ negotiũ agit: vnde oues periclitantẽ, maximoq; damno afficiũtur. Qua in re illud eſt animaduertendũ, qd prælati cogantur

ex decimis,atq; alijs ecclesiarum redditibus certum constituere stipendiū cu ius libet ecclesiæ rectori,qui perpetuus constituatur præmisso diligenti morum,ac doctrinæ examine. Quod si ex ecclesiarum redditibus hoc stipendium nequeat rectoribus ministrari, compellantur itidem ipsi prælati ex redditibus Episcopatus onus hoc subire: quandoquidē hoc ipsum est veri pastoris officium agere.

¶In omnibus fere Hispaniarum Cathedralibus ecclesijs potissimū id obtinuit priuilegiū ex cōcessione Sixti Papæ ob maximā Christianæ religiōis vtilitatem, quod quælibet ecclesia suffragijs,& vocibus Episcopi,& Canonicorum duas præbendas in ipsa Cathedrali ecclesia conferre duobus viris in iure diuino,& humano doctis,nempe Theologo,& canonistæ: vnde maxima vtilitas toti Christiano orbi cōparatur. Nam Theologus verbi diuini prædicatione,canonistes autem defensione rerum ecclesiæ,ne per iudiciū iniuriam ab ecclesia patrimonium eius auferatur,plurimum vtilitatis,& momenti quotidie deferunt ecclesiarū administratiōi. Verum ad id vētum est, vt apud curiam Romanam homines ineruditissimi a sede Apostolica,& ab ipso Romano Pōtifice hos equidē canonicatus impetrent,& obtineant cū speciali derogatiōe priuilegiorū oīm, q̄ circa hanc rem Cathedralibus ecclesijs competunt. Quod permittendū nō est:imo summis viribus erit obsecrādus Romanus Pōtifex,ne hæc permittat:atque ideo abstineat ab his derogationibus,ipsis Canonicis,& Epis permittēs ius supplicādi,& supersedēdi in harū literarū exequutione: regiq; et eius iudicibus cōmittēs,vt omnino impediāt harū derogationū vsum,& præsentationem maxima sub pœna: alioqui parum proderūt hæc priuilegia a summis Pontificibus multis ex causis ecclesijs Hispaniarū cōcessa. Illud tamē cauēdum est, q̄d electi canonici ad has prebēdas solēniter iuramētū præstēt,quo residere iurēt,et ipsi ecclesiæ ministrare per se ipsos ita quidē, vt eis absentibus libera sit facultas canonicis alium loco absentis ad id officium eligere.

¶Præterea in Hispaniarū Montanis omnia fere bñficia pertinēt ad præsentationē laicorū,& Eporū institutionem. Et tamē ob negligētiā,absentiāq; ipsorū prælatorū inducta est consuetudo,q̄d Archidiaconi instituāt p̄sentatos a laicis,vel sit præuētioni locus inter ipsos Archidiaconos,& Episcopos. Qua ratione patroni laici præsentātes cōsanguineos,famulos,& alios viros indoctissimos,timentesque examē Eporū statim eos deferunt ad Archidiaconos,a q̄bus ob adquirēdū in his institutiōibus ius absq; vlla mora instituūtur: vnde Innocētius Papa Epis decretū,ac literas dedit,quib⁹ ꝓhibuit hāc Archidiaconorū institutionē iustissima profecto de causa: quæ et modo,id maiori conatu ꝓhiberi suadet. Igitur a Romano Pontifice,& ab ipso vniuersali cōcilio statuēdū est,q̄d in his locis institutio sacerdotū,q ꝑ patronos laicos fuerint p̄sentati ad eccle-

ſiaſtica beneficia ad Epiſcopos, non ad Archidiaconos pertineat qualibet cōſuetudine etiam immemoriali non obſtante; atq; id exequutioni mandetur cum inuocatione auxilij Regij. Sic enim eccleſiarum miniſterio, religioni Chriſtianæ, & denicq; toti reipublicæ erit optime conſultum.

¶ Sunt & in Hiſpania quædam eccleſiaſtica beneficia, quæ præſtimonia, & præſtimoniales portiones appellantur: quorum origo ea fuit, vt a beneficijs parochialibus pars redditúum deduceretur, ex qua pauperes clerici poſſent alimenta percipere, & literis operam dare interim dum pinguia beneficia, quæ reſidentiā exigunt, nequeunt obtinere. Hæc vero horū præſtimoniorum ratio nedum nō ſeruatur: ſed & per Epiſcopos, ac literas Apoſtolicas his quidem conferuntur, qui nec literis operam dant, nec vnquā dedere, nec daturi ſunt: imo diuitibus dantur, quo pinguiores redditus habeant ad maiores ſumptus, & impenſas miniſtrandas ſane in rebus parum reipublicæ Chriſtianæ vtilibus. Deinde cum hæc præſtimonia reſidentiam non requirant, ea appetunt, conātur habere, & habent, qui cupiunt abſq; vllo labore, abſque vllo miniſterio eccleſiaſtico redditus eccleſiaſticos per orbem vagantes habere, & conſumere. Ex quo manifeſte eccleſijs iniuria fit, violatur, q; prima illa ratio, quæ cauſam dedit horum præſtimoniorum deductiōi. Idcirco prouidendum eſt per ſacroſanctam ſynodum, aut per Romanū Pontificē, quod hæc præſtimonia cōferantur eo modo, quo beneficia conferuntur in Epiſcopatibus Burgenſi Palētino Calagurritano: nempe ab ipſis Epiſcopis præmiſſo examine paupertatis, & ad hoc, vt vel iuri Pontificio, vel Theologiæ operā det is, cui præſtimoniū collatum fuerit. Deinde ſtatui debet, quod præſtimonium vacet ipſo iure per adeptionem beneficij curati, vel ſimplicis, ex quo ſatis percipere poſsit, eius poſſeſſor alimenta congrua iuxta perſonæ ſtatum, & conditionem: poſſetq; prǣſtimonio priuari, qui iniunctam ab Epiſcopo literarū profeſsionem omiſſerit.

¶ Plerūq; apud Hiſpanos oritur magna contentio inter Epiſcopos, & magiſtros, Priores, Commendatarios ordinum militarium ſancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ ex cauſa exemptionis, & priuilegiorum, quæ per ſedem Apoſtolicam conceſſa fuere his militaribus ordinib⁹. Nam exiſtimāt, & conantur horum ordinum adminiſtratores, eccleſias, quas habent intra Epiſcoporum, ac prǣlatorum diœceſes, eſſe omnino exemptas ab ipſis Epiſcopis, nec vllo modo ſubiectas eſſe p̄latis, nec quo ad viſitationem, nec quo ad correctionem eorum, qui eiſdem eccleſijs miniſtrant. Ex quo grauiſsimū fit præiudicium Epiſcopis. Quam obrem maxime oportet his remediū adhiberi per ſtatuta, & Decreta priuilegijs harum militiarum derogāta, atq; ſtatuentia, quod omnes eccleſiæ curam animarū habētes, cum earum miniſtris in his, quæ pertinent ad regimē animarum, & ad miniſterium earūdē

ecclesiarum sint Epis pleno iure subiectæ: nō obstātib⁹ quibuscūq; exceptionibus in cōtrariū cōcessis. Itē satis cōueniret rectæ institutiōi sacerdotū horū ordinū, qđ ipi ad suscipiēdos sacros ordines examinarentur ab ipsis Epis.

¶ Sunt & in Hispania aliquot monasteria, q̄ vulgo claustralia nūcupātur, ordinis quidē sancti Benedicti, sancti Bernardi, beatę Mariæ de mōte Carmelo Premostratensiū, & alia, quæ indigēt reformatiōe peculiari circa mores, bona, patrimoniū, & ædificia, ac sūptus p̄sertim, quos Abbates ipsi, vel Priores faciunt. Debet Romanus Pōtifex delegatū huic negotio destinare, q visitet, corrigat, et emēdet, q̄ in his viderit a vera religiōe alium esse: & potissime reducat hęc monasteria ad strictā aliorum monasteriorū obseruatiōnē.

¶ In plerisq; Hispaniarū Epatib⁹ cōsuetudine inductū est, qđ Epi, & p̄lati recipiāt argēti Marcā ꝓ sigillo, & collatiōe bñficiorū, etiā si minima sint bñficia. Quæ tamē cōsuetudo iniqua cēseri debet ꝓpter exactionē istā pecuniariam, q̄ ex ea fit, & quia multa mala inde sequūtur. Etenim huic lucro plus animos intendunt Prælati, quā prouidæ, ac rectæ bñficiorū institutioni.

¶ Hæc deniq; iā diu excogitauim⁹, p̄sertim postquā Tridentū accessimus, ad synodū generalē inibi celebrādam cū alijs Christiani orbis Epis vocati. Nam ex multis, q̄ dū in supremo Caroli Cæsaris Regio p̄torio apud Hispanos consiliarij munus exercuimus ac deinde in administratiōe, & regimine Asturicēsis ecclesiæ, deprehendim⁹ correctione, & institutiōe indigere ad Christianæ religionis vtilitatem, hæc pauca selegimus, q̄ in sinum Prælatorū emitteremus, vt ab ipsis eidē synodo præsentibus vel corrigātur, vel ad medelā tot malorū reipublicæ Christianæ imminentiū examinentur: ipsi vero alia excogitabunt, q̄ cōmodiora sint ad scopū istum, in quē omnes Catholici & præsules intēdūt. Deus Optimus Maximus, vt gen⁹ humanū proprio fuso sanguine a misera dæmonis seruitute, & perpetua infœlicitate redimere ac liberare dignatus est, ita ecclesiæ multis calamitatibus, & malis vndequaq; oppressæ sua benignitate subuenire non desinat.

Amen.

EXCVSSVM GRANATAE
Anno reparationis humanæ Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo secundo.

¶ FRVERE CHRISTIANE LECTOR, ET HANC NOSTRAM OPERAM BONI CONSVLE.

Tendit iter durum sublimia tecta Tonantis;



Quod facile, heu, tristes ad Phlegetontis aquas.

Aethereum quicumque cupis conscendere regnum,

Ex his difficilem tu tibi sume viam.

